This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Sc 40.448

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

QUID

DE SIGNIS

TABULISQUE PICTIS

SENSERIT

MARCUS TULLIUS

Quæstionem proposuit

L. MAIGNEN

IN ACADEMIA PARISIENSI LICENTIATUS

PARISIIS,

EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, FILII,

SOCIIQUE BIBLIOPOLÆ,

VIA JACOB, 56.

1856

QUID

DE SIGNIS

TABULISQUE PICTIS

SENSERIT

MARCUS TULLIUS

Paris. — Typographie de Firmin Didot frères, fils et Cᵉ, rue Jacob, 56.

QUID

DE SIGNIS

TABULISQUE PICTIS

SENSERIT

MARCUS TULLIUS

Quæstionem proposuit

L. MAIGNEN

IN ACADEMIA PARISIENSI LICENTIATUS

PARISIIS,

EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, FILII,

SOCIIQUE BIBLIOPOLÆ,

VIA JACOB, 56.

1856

Lc 40.448



DOCTISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO VIRO

E. EGGER

gratus offerebat

L. Maiquen

Cum jam plurimi fuerint qui de Marci Tullii laude oratoria multa scripserunt, nec defuerint qui eumdem, ut philosophum doctum et amabilem, ita et poetam non contemnendum (1) exstitisse demonstrarunt, nobis, quod adhuc integrum supererat, propositum est ut vir ille, natura egregius et omni Græcorum disciplina excultus, quo sensu, quali animo in æstimandis artis operibus judicem egerit, diligenter perquiramus.

Quod enim, si de græco homine ageretur, utrum æra Polycleti Zeuxidisque tabulas recte intellexerit, an omnino ignorarit, nulla disputatione egeret, cum omnes, vel sine litteris, homines, ea studia apud Græ-

(1) Plutarch., *Vit. Cicer.*, cap. II : « Ἔδοξεν οὐ μόνον ῥήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητὴς ἄριστος εἶναι Ῥωμαίων. » — « La plupart de ses poésies sont perdues; mais celles qui nous restent suffisent pour nous persuader que son génie poétique aurait égalé ses talents pour l'éloquence, s'il eût été cultivé avec le même soin. » M. Vict. Le Clerc : *Vie privée et littéraire de Cicéron*, 2e supplém., p. 343.

cos semper floruisse norint, hoc quidem de homine romano, præsertim qui ante Augusti tempora vixerit, statim affirmare noluerim. Nec tamen quia leviora sunt ista, ideo negligenda : scire enim jucundum, nec forsan inutile, quod judicium, quam intelligentiam rerum illarum habuerit M. Tullius, cæterarum artium peritissimus judex.

Hoc autem nobis propositum non prius assequi licebit, quam de signis tabulisque pictis apud veteres Romanos, quo tempore esse cœperint, quis honos illis habitus fuerit, perquam breviter exposuerimus.

I. — DE PICTURÆ ET ARTIS STATUARIÆ INITIIS APUD ROMANOS.

Ex veterum annalibus constat Romanos non, nisi sero, ad hominis effigiem deorum simulacra finxisse. Hoc enim lege Numæ vetabatur (1). Sed postquam Tarquinius priscus, imperio potitus, tuscanicos usus fere omnes Romam intulit, tum primum ibidem signa, non solum diis sed etiam hominibus fuere posita. Quibus faciendis non defuisse artificum haud imperitorum manus licet suspicari ex sententia Plinii affirmantis « fuisse statuariam artem familiarem Italiæ quoque et vetustam (2) » ; sed lignea tantum et fictilia simulacra in delubris dicata fuisse idem auctor testatus est.

(1) *Notice* de Heyne *sur les Étrusques*. 42. Winckelmann, *Hist. de l'art*, liv. V, c. II.

(2) Liv. XXXIV, 16.

Fictilis ergo, et ideo miniari solitus, erat Jupiter ille quem Tarquinius priscus in Capitolio dicandum artifici a Fregellis adscito locavit; fictilis et Hercules, qui quidem diu materiæ nomen in urbe retinuit. At regibus exactis, mos tandem invalescere cœpit ut, qui de republica essent bene meriti, iis signa ex ære facta essent. Qualia fuisse compertum est Horatii Coclitis et Cleliæ simulacra (1); qui honos adeo fuit postea pervulgatus, ut, M. Æmilio C. Popilio II coss., a Censoribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio, statuæ, circa forum, eorum qui magistratum gesserant, sublatæ fuerint omnes, præter eas quæ populi aut senatus sententia statutæ essent (2). Equestres quidem statuæ tunc admodum paucissimæ erant; marmoreæ vero, nisi recentioribus ætatibus, fuerunt nullæ. Imagines etiam majorum fuere in atriis expositæ : de quibus Plinius : « Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera (3). »

Pictura ipsa quoque apud Romanos non sero recepta est; siquidem non solum Damophili et Gorgasi, græcorum artificum, Cereris templum denuo exstru-

(1) Aul. Gell., lib. IV, 5. Tit.Liv., lib. II, 5.

(2) Pline, XXXIV, 14.

(3) Pline, XXXV, 2. — « On a cru qu'il était question de la statue de Brutus dans la *IIe Philippique* de Cicéron, § 2; mais dans cet endroit, l'orateur romain ne fait allusion qu'aux images de Brutus exécutées en cire et conservées dans les maisons des Romains qui prétendaient être issus de sa race. » Visconti, *Iconogr. rom.*, p. 23.

ctum, curante Spurio Cassio, tabulis ornatum fuerit, sed etiam in foro Boario, æde Herculis, Pacuvii poetæ pictura celebraretur. Immo vero Fabius ille, clarissimæ gentis princeps, Pictor, ex arte quam studiose colebat, cognominatus est : sed neque ista tabula quam Tib. Gracchus, Carthaginiensium victor, Libertatis templi parietibus affixit, neque illa, quæ victoriæ adversus eosdem a Valerio Messala relatæ effigiem præbebat, neque illa, in foro exposita, qua L. Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem est ingressus, et ipsa civitas oppugnata picta visebantur (1), nec denique illa, L. Scipionis Asiatici jussu perfecta, fuere artis scite atque eleganter excultæ testimonia; immo omnes, ut opinor, ad ostentationem triumphi accommodatæ, superbiam tantum victoriæ significant.

Romani autem quam parum in pictura et in arte statuaria profecerint, ex ipso Cicerone licet cognoscere, qui mihi tanquam dolere videtur, quod apud eos neque Polycleti neque Parrhasii fuerint, qui fortasse exstitissent si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset quod pingeret (2). Nullum etenim per se invenerunt tabularum signorumque genus, sed a Tuscis (3),

---

(1) Pline, XXXV, 7. « Et ipse assistens populo spectanti singula enarrando : qua comitate proximis comitiis consulatum adeptus est. »

(2) *Tuscul.*, I, 2. Val. Max., VIII, 14. « Ceterum sordido studio deditum ingenium qualemcunque illum laborem suum silentio obliterari noluit. »

(3) « Les plus anciennes peintures qui existassent dans le Latium, celles d'Ardée et de Lanuvium, étaient exécutées sur

ut prope omnia, istam pingendi et fingendi artem traxerunt, quam duriorem rigidioremque fuisse Quintilianus testatur (1). At ne illam quidem artifices Romani, si qui primis temporibus fuerunt, avidissime amplexi sunt, exemplorum vitiis, credo, deterriti.

II. — QUIBUS AUCTORIBUS HÆC STUDIA ROMÆ INVALUERINT.

Postquam vero C. Marcellus, Syracusarum victor, suis civibus signa græcorum artificum pulcherrima in foro ostendit, harum rerum mira studia apud eos incitavit qui tuscanicorum operum aspectu minime detinebantur. Ipse autem imperator, etsi republica nondum adulta vixit, non jam, ut opinor, unus erat ex his barbatis rudibusque Romanis qui, bellicæ laudis tantum appetentes, cetera vitæ humanæ ornamenta, ut sibi indecora, negligebant. Quis enim credat hunc indoctum aut inurbanum fuisse virum, quem dicitur captis Syracusis illacrymasse, et, ne quis militum Archimedem, hujusce civitatis doctissimum propugnatorem, occideret, edicto vetuisse ? Vix tamen Ciceroni crediderim laudanti magnam hujusce imperatoris hu-

---

mur... On a récemment acquis, par la découverte de tombeaux étrusques à Chiusi, à Corneto et en divers lieux de la campagne de Rome, la preuve que de véritables peintures sur mur, exécutées par des artistes étrusques, ou par des Grecs établis en Étrurie à une haute époque de la civilisation étrusque, servaient à la décoration intérieure des tombeaux. » R. Rochette, *Journ. des Savants*, juin 1833.

(1) Quintil., XII, 10.

manitatem (1), qui contra in se tantam Siculorum invidiam conflavit, ob id ipsum, puto, quod græcarum artium opera quæ prope unus intelligebat, Syracusis quamplurima ablata, Romam devehenda esse curavit (2); inde, ut ait Livius, primum initium mirandi græcarum artium opera licentiæque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est (3). Verumtamen, quod Tullio maxima laus est, neque tabulas pictas, neque signa, neque vasa corinthiaca suis ipsius ædibus intulit, neque aliud quidquam ex tanta præda sibi vindicavit, præter Archimedis sphæram (4). Usum esse eadem temperantia L. Scipionem Asiaticum, eadem T. Flamininum Macedonicum, eadem L. Paulum et L. Mummium Achaicum accepimus, sed non omnes, credo, quod de veteribus hominibus dici solet, quia meliores et innocentiores essent, sed quia, absit verbo invidia, oculos eruditos non haberent. Ut enim Fabium omittam, quem Tullius, nescio an consulto, prætermisit, licet ille majore animo ejusmodi præda absti-

(1) *In Verr.*, I, 21 et IV, 54. « Itaque ædificiis omnibus, publicis et privatis, sacris et profanis, sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset. In ornatu urbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis... Syracusis autem permulta atque egregia reliquit : Deum vero nullum violavit, nullum attigit. » Ed. Nobbe.

(2) Tit. Liv., XXVI, 30. « Quid ultra quam quod fecerit, nisi ut deleret Syracusas, facere hostiliter Marcellum potuisse? certe, præter mœnia et tecta exhausta urbis et refracta ac spoliata Deum delubra, diis ipsis ornamentisque eorum ablatis nihil relictum Syracusis esse. »

(3) Tit. Liv., XXV, 24.

(4) *De Republ.*, lib. I, c. 14.

nuerit quam Marcellus (1), ipsum Mummium, cujus abstinentiam singularem Noster laudavit, exempli gratia afferam : nihil ille, ut Cicero testatur, ex iis opibus ornamentisque quæ prædives Corinthos habuit, domum suam contulit ; sed quis nescit illum tam rudem fuisse ut, capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros (2). Idem, teste Plinio (3), non prius suspicatus est aliquid virtutis, quod ipse nesciret, esse in tabula pulcherrima Aristidæ, quam rex Attalus eam sexies cent. sestertium mill. emisset.

Fuit sane ingenio humano et liberali L. Scipio de quo dicebatur : neminem hoc viro elegantius intervalla negotiorum otio dispunxisse (4) : sed eumdem amatorem signorum tabularumque pictarum satis frigidum fuisse ideo arbitror, quod hæc ornamenta ad sacros publicosque usus tantum idonea esse censebat (5) ; quæ quidem sententia tum fuit non unius hominis, sed fere omnium Romanorum quibus artium græcarum opera non aliam ob causam esse expetenda

(1) Tit. Liv., XXVII, 16. « Qui interroganti scribæ, quid fieri signis vellet (ingentis magnitudinis dii sunt, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) deos iratos Tarentinis relinqui jussit. »

(2) Vell. Paterc., lib. I, c. 14.

(3) XXXV, 8.

(4) Vell. Pat., I, 14.

(5) *In Verr.*, act. II, lib. IV, c. 44.

videbantur, quam ut aut deorum reverentiam augerent, aut ædilitatum apparatus splendidiores efficerent, aut, quod apud plerosque optimum esse habebatur, ut longos ordines rerum pretiosissimarum ante triumphantis currum continuarent.

Quamobrem multi, harum rerum etsi rudes erant, eas tamen magno studio conquisiverunt, ut præteritorum triumphorum pompam non solum adæquare, sed etiam superare existimarentur. Huic numero M. Fulvium adscribam a quo Ambracia, quæ, quia regia Pyrrhi fuerat, ornatior quam cæteræ regionis urbes erat, ita signis æneis marmoreisque et tabulis pictis est spoliata, ut Ambracienses ad senatum questi sint quod ne unius quidem dei quem colerent simulacrum haberent (1). Contigit enim M. Fulvio triumphanti ut, præter alias divitias, signa ænea ducenta octoginta quinque, signa marmorea ducenta triginta ante currum portarentur (2).

Longe vero doctissimus humanissimusque fuit omnium, qui tum vixerunt, Romanorum Paulus ille qui Græciam statuit circumire, ut ea viseret, quæ nobilitata fama, magis auribus accepta quam oculis nota essent (3). Non jam enim iter est consulis avidos milites in ruinam devictarum gentium secum trahentis: at Paulus, haud magno comitatu profectus, Delphos

(1) Tit. Liv., XXXVIII, 9. « Nihil præterea tactum violatumve. »

(2) Tit. Liv., XXXIX, 5.

(3) Hæc et sequentia passim ex Livio sumta, XLV, 25.

petit, inclytum oraculum; templum Jovis Trophonii adit; a Chalcide Aulidem trajicit, portum inclytum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis; Dianæ templum, cui filiam admovit victimam rex regum; templum Amphilochi vetustum, fontibus rivisque circa amœnum, petit. « Athenas inde, plenas quidem et ipsas vetustate famæ, multa tamen visenda habentes : arcem, portus, muros Piræeum urbi jungentes, navalia, magnorum imperatorum simulacra deorum hominumque omni genere et materiæ et artium insignia. » Confecto itinere, non solum magnificus sed prudens, teste Livio (1), visus est in edendis spectaculis ad quæ tum rudes Romani erant. Fuit ejusdem prudentiæ, quod verbum idem sonat atque scientia, statuas tabulasque prædam Macedonicam, quam pulchræ essent intelligere, ideoque velle ex his paucissimas militum suorum in manus cedere. Quæ cum ita sint, non tamen propterea illud de Paulo affirmare voluerim quod narrat Plutarchus : nempe illum dedisse operam ut liberi picturam a præceptore edocerentur : Verius fortasse Plinianum illud : « Cum L. Paulus, devicto Perseo, petisset ab Atheniensibus ut sibi quam probatissimum philosophum mitterent ad erudiendos liberos, itemque pictorem ad triumphum excolendum... (2). » Hoc enim vere Romanum est, velle uti pictura tantum ad triumphi ostentationem, etsi suspi-

(1) XLV, 32.
(2) Plin., XXXV, 40.

cari licet Paulum, humanissimum virum, ad meliora opem Metrodori adhibuisse.

Nunc omnes, ut opinor, habemus jam notos perspectosque homines qui præcipui veteribus Romanis græcas artes intulerunt. Non tamen, ut Metellus Macedonicus, cujus munere equites a Lysippo exsculpti Romæ visebantur, nobis silentio prætermittendus est Sulla, ad quem primum apud suos cives luxuriæ exemplum refert Sallustius, quod « exercitum quem in Asia ductavisset luxuriose nimisque liberaliter habuisset. Ibi enim primum insuevisse exercitum populi Romani amare potare; signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari (1). » Viderit alius uter rectius censuerit: Liviusne, qui Marcellum, an Sallustius, qui Sullam licentiæ, quæ deinde secuta est, auctorem fuisse existimat; nos illud tantum pro certo ponamus, Romanos scilicet, viris principibus civitatis prope cunctis adjuvantibus, hæc Asiæ Græciæque ornamenta tandem intellexisse, et paulo studiosius amavisse, quæ dudum, ut sibi inutilia, neglexerant. Quod quidem fieri admodum necesse fuit in hac urbe ubi duæ gentes, una hominum, altera, æque numerosa, signorum habitare dicebantur (2).

Non tamen apud omnes hæc studia invaluere. Multi enim barbati, capillo horrido, purpura plebeia ac pene fusca vestiti (nam quid ego de supercilio dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed pignus reipublicæ

---

(1) Sall. *Catil. XI.* Vide etiam Tit. Liv., XXXIX, 7. Tum Cicer. *pro Murenâ* de Asia habente suspicionem luxuriæ.

(2) Cassiodor., lib. VIII, form. 15.

videbatur (1) » sententiam sequebantur M. Porcii Catonis, qui infesta signa ab Syracusis illata esse Romam censuerat (2). Nec vero pauciores, unguentis diffluentes, calamistrata coma, qui, propter mitellam, tunicam talarem, pallium, crepidas, græculi aut elegantes vocabantur, villas, in urbium modum ædificatas, signis tabulisque pictis exornabant, et, si quid in his intelligere existimarentur, valde erant delectati.

III. — M. TULLIUS IN ARTIS OPERIBUS ÆSTIMANDIS STOICOS ÆMULATUR.

Nunc autem operæ pretium est dicere quas partes fuerit amplexus M. Tullius, qui neque omnino curiosus et elegans haberi voluit, nec tamen se idiotam a Verre appellatum esse æquo animo passus est. Quod quidem curiosus et elegans haberi noluerit, hoc non solum ex ipsius verbis patet quibus insectatur eos qui hanc elegantiæ famam sibi quærebant (3), sed etiam ex ipsa illa diligentia qua præcavet ne his rebus quibus isti delectantur (4), eruditior esse videatur. Quod vero ægre ferat se idiotam fuisse appellatum, id etiam cognosci-

(1) *Pro Sextio,* VIII, 13.

(2) Tit. Liv., XXXIV, 4. « Jam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque et antefixa fictilia deorum romanorum ridentes. »

(3) *In Verr.,* IV, 44. « Vide ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia te atque istos, qui se elegantes dici volunt, vicerit. »

(4) *In Verr.,* IV, 2.

mus ex ipsa in Verrem oratione ubi hæc sunt (1) : « Erat apud Heium sacrarium magna cum dignitate in ædibus a majoribus traditum, perantiquum ; in quo signa pulcherrima quattuor, summo artificio, summa nobilitate, quæ non modo istum hominem, ingeniosum atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste *idiotas* appellat, delectare possent. »

At M. Tullius, quis reipsa fuerit, si nunc a nobis requiratur, eum libenter affirmaverimus statuis tabulisque pictis mire delectatum, earumdemque intelligentem, omni opera contendisse ne illa studia ei acceptiora esse crederentur. Cur hac dissimulatione uteretur duas fortasse habuit causas : quarum alteram esse censeo, ne hoc, cum prætoribus, qui in vexandis provinciis id genus spoliorum inprimis conquirebant, vitium commune habere videretur, alteram, ne apud cives disciplinæ severioris, quorum opinionem non parvi ducebat, suam ipsius auctoritatem atque dignitatem labefactaret.

Noluisse Ciceronem se avidis delicatisque hominibus annumeratum esse quis dubitet? Quanta enim indignatione persequitur provinciarum vexatores, quibus nullum fanum religiosum, nulla domus fuit tam clausa ac munita, nullus denique locus, aut lucus, in Græcia tota, tam sanctus fuit, in quo ullum simulacrum, ullum ornamentum reliquum sit (2). Nempe civitates,

---

(1) IV, 2.

(2) *Pro lege Manilia,* 65. « Quæ civitas est in Asia, quæ non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos

ut quæque splendidissima erat, sic spoliatæ atque nudatæ erant, ut nonnullis vix unum, ex maximo numero, signum superesset. His enim temporibus, nec modus fuit in his rebus cupiditatis, neque æstimationis; siquidem Ajacem et Medeam, Timomachi tabulas, octoginta talentis ab Cæsare (1) et Argonautas H-S. CXLIV millia ab Hortensio (2) oratore emptas fuisse accepimus.

De Luculli magnificentia, qui Felicitatis signum ab Arcesilao familiari suo H-S. LX mill. et Glyceræ imaginem, neque illam Pausiæ manu factam, duobus talentis mercatus est, dicere esset supervacuum nisi Lucullus fuisset amicissimus Ciceroni, qui tamen, ne morum gravitatem suorum, propter unius amicitiam, exuere diceretur (3) : « Non vides, aiebat, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? Quibus id, si tu non faceres, non liceret. Quis enim ferret istos, quum videret eorum villas signis et tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris et religiosis? Quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupi-

ac spiritus capere possit? » Vid. et *Orat. de Provinciis consular.*, c. 7.

(1) Plin., XXXV, 40... et ibid. § 26. De Cæsaris elegantia vide Sueton., cap. 47 et Strabon., *Geogr.*, lib. VIII apud Winckelman, *Hist. de l'Art.*, lib. I, cap. 2.

(2) « On a fait mention de quatre de ses maisons de plaisance qu'il avait embellies des ouvrages les plus précieux des arts, de bois remplis de bêtes fauves et des plantations les plus magnifiques. Si nous écoutons Macrobe (*Sat.* II, 9.) il arrosait ses platanes avec du vin, et il prenait soin lui-même de leur culture. » Visconti, *Iconog. rom.*, 239.

(3) *De Legibus*, III, 13.

ditatis ejusdem tenerentur (1)? » Alias, rursus animadvertit, non tamen sine aliquo laudis temperamento, in eumdem, quocum quadam studiorum et animi societate devinctus, eadem amare et odisse consuevit. At, cum multa secum communia (2) habeant, hoc tamen sunt dissimiles quod Lucullus quidem a se omnia Græca et Asiatica, quæcumque pulchra aut pretiosa sunt, et amari et conquiri palam profitetur, utpote qui, de sua luxuria quid sentiant cæteri, nil curat; Tullius vero, ut supra diximus, ne in suspicionem otiosæ elegantiæ veniat, multum laborat. Romam enim reversus, postquam Athenis græcas litteras summa diligentia didicerat, primo modice vixit et dubitanter ad honores accessit, « Γραϊκὸς καὶ σχολαστικὸς ἀκούων (3), » quibus appellationibus probri loco Romani utebantur. Horum autem nominum invidiam (4) ut a se amoveret quantopere studuerit, satis ex multis ejus librorum locis manifestum est. Græcos enim, quibus favere existi-

(1) *De Officiis*, lib. I, 39.

(2) *Academ.* lib. II, 1.

(3) Plutarchus, *Vita Cicer.*, cap. v.

(4) Vide Sallustium quocum Noster inimicitias gessit : « Non græca facundia, neque urbanis munditiis sese exercuit (Marius); ita inter artes bonas integrum ingenium brevi adolevit. » *Jugurtha*, 63 : « Neque litteras græcas didici, parum placebat eas discere; quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt; at illa, multo reipublicæ utiliora, doctus sum. » Idem auctor Lucullum Ciceronis amicum fortasse respexit : *Jugurtha*, 85. « Atque ego scio, Quirites, qui postquam consules facti sunt acta majorum et Græcorum militaria præcepta legere cœperint, homines præposteri. » Vid. Cicer. de Lucullo, *Acad.* II, cap. 1.

matur, sæpissime leves, ineptos et fallaces appellat (1); fingit sic et semper existimasse se : « Omnia Romanos aut invenisse per se sapientius quam Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora (2). » « Sed quid ego Græcorum? ait, nescio quomodo me magis nostra delectant (3). » Litteris quidem græcis se studuisse fatetur : nonne vero Cato major eas, etiam senex, didicit? Ipse M. Cato domi habet hominem eruditissimum, videlicet Græcum, cujus oratione et præceptis libenter informatur (4). Mirum autem et prope incredibile illud est quantum Tullius laboret et insudet ut ipse Catonem agat, nedum græculi hominis mores referre videatur. Est enim, quod vult omnibus esse persuasum, illi cum Catone communis societas studiorum atque artium (5). Quis vero in Cicerone reprehendat istam legendi aviditatem quæ in Catone tanta erat ut, reprehensionem vulgi non reformidans, dum senatus cogeretur, in ipsa curia legere soleret?

Sic Tullius sua ipsius studia viri gravissimi auctoritate tuetur. Hunc unum scribit esse sibi pro centum millibus (6) mortalium; hujus cum laudatione neque currum, neque lauream confert (7); denique vero, quod est maxime nostri propositi, quia M. Catoni, ut

(1) *Epist. ad Quint.*, lib. I, ep. 2, n° 2. *De Orat.*, lib. II, 4.
(2) *Tuscul.*, I, 1.
(3) *De Divinat.*, I, 26.
(4) *Pro Murena*, 31, 66.
(5) *Epist. famil.*, lib. XV, ep. 4, *ad Catonem*.
(6) *Ad Atticum*, lib. II, 5.
(7) *Epist. fam.*, lib. XV, 6. *Ad Catonem*.

Stoico, signa tabulæque pictæ parum placebant (1), ipse quoque iisdem deliciis tanquam bellum indicit. Scribit enim, credo, assentationis causa, ad Brutum, qui eamdem atque ipsius avunculus disciplinam sequebatur, de Paradoxis libellum qui, utpote ad privatam voluptatem tantum accommodatus, raro in libris Ciceronianis exemplo, lucem publicam reformidat (2). Multa sunt in eo dicta adversus eos quos signa, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthiaca opera, quos ædificia magnifica nimis delectant. Ego vero Tullium, ex vera animi sententia, tales homines comparasse cum servis, « qui, etiamsi lautiores, tamen sunt servi atrienses (3) » non magis credam, quam eumdem, ex academicis castris profugum, ad signa Stoicorum, quos tam lepide tamque subtiliter irridet ac refellit (4), credam confugisse.

(1) Pline XXXIV, 9. « Non ære captus, nec arte, unam solummodo Zenonis statuam Cypria in expeditione non vendidit Cato, sed quia philosophi erat, ut obiter hoc quoque noscatur tam inane exemplum. »

(2) *Præfatio*, 5.

(3) *Parad.*, V, 2.

(4) *Pro Murena*, XXIX. *De Finib.*, lib. IV, 27. « Hæc paradoxa illi, nos admirabilia dicamus. Quid autem habent admirationis, quum prope accesseris? Conferam tecum, quam cuique verbo rem subjicias : nulla erit controversia : omnia peccata paria dicitis. Non ego tecum jam ita loquar, ut iisdem his de rebus, quum L. Murenam, te accusante, defenderem. Apud imperitos tum illa dicta sunt : aliquid etiam coronæ datum : nunc agendum est subtilius. » Vide etiam fragm. IV, lib. I. *Acad. ad Varronem :* « Fac enim, verbi caussa, stoicum adesse sapientem : nam contra eos potissimum academicorum exarsit ingenium. »

An vero Tullius reipsa censet, quod dicit sibi maxime Socraticum longeque verissimum videri (1), nempe omnia peccata esse paria, nec minus delinquere eum qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum qui patrem suffocaverit? Atqui ipse contra palam professus est se ab adolescentia didicisse distincta genera esse delictorum et dispares pœnas (2). Quæ ista mutatio est, nisi assentatio quædam aut jocus non inficetus (3)?

Quidquid est, at certe nos, veram de signis tabulisque opinionem Tullii, non in Paradoxis sumus reperturi. Licet enim in his servos omnium ineptiarum esse judicet quoscunque stupidos, intuentes admirantesque detinet Echionis tabula, aut signum aliquod Polycleti; licet æra corinthiaca velit haberi ut oblectamenta puerorum (4) : sunt quidem hæ sententiæ viri, non quem novimus Academicum, omni Græcorum arte et doctrina excultum, sed qui adducto supercilio apud suos cives auctoritatem aucupetur.

Quid autem ex animo dixerit Noster, in libris qui *de Officiis* inscribuntur, haud facile discernas, quamvis auctor ipse monuerit se, in hac quæstione, secutum potissimum Stoicos, non ut interpretem sed, more suo, e fontibus eorum, judicio arbitrioque suo quantum

---

(1) *Præfat.*, 4.

(2) *Pro Murena*, XXX, 63.

(3) *Præf.*, *Parad.* « Ego vero illa ipsa, quæ vix in gymnasiis et in otio stoici probant, ludens conjeci in communes locos. »

(4) *Parad.*, V, 37.

quoque modo visum fuerit, hausisse (1). Nescio equidem « quantum quoque modo » Panætium interpretetur, hoc præsertim in loco sui operis ubi hæc leguntur : « Jam de artificiis et quæstibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, hæc fere accepimus (2). » Scimus enim artificibus vel opificibus, cum isti a Stoicis exsules, servi et insani appellarentur (3), esse patrocinatum Ciceronem, utpote qui Zeuxidis, Phidiæ et Polycleti magnam solertiam laudaverit, neque iis, quod faciebant Stoici, scientiam abnegaverit, sed eam tantum quæ nusquam est (4). At, in hoc *de Officiis* libro, non jam adversus Zenonem causam tuetur opificum, quos contra ait omnes in sordida arte versari ; « nec enim quidquam ingenuum potest habere officina. » Quin inter opifices illos adscribat pictores atque artifices signorum, etiamsi supra dixerit illiberales et sordidos quæstus esse mercenariorum omnium quorum operæ, non quorum artes emerentur, non dubitandum arbitror. Nam cum artes illas excipiat, quibus, ut medicinæ et architecturæ, inest aut major prudentia, aut non mediocris utilitas, cur iisdem picturam atque statuariam artem non annumeret, nullam majorem causam reperio, quam ne a Panætii doctrina discedere videatur.

Quare autem illi tam arcte tamque fideliter hæreat jam antea animadvertimus : videlicet non vult Tullius

(1) *De Officiis*, lib. I, 2.
(2) *Ibid.*, 42.
(3) *Academ.*, lib. II, 47.
(4) *Ibid.*

is Græculus haberi, qui litteris, tabulis et signis delectetur, at contra Romanus civis, qui tantum reipublicæ consulat. Non alio consilio fingit clarissimorum artificum nomina se non prius didicisse quam in Verrem inquireret (1).

IV. — ACCUSATIO IN VERREM.

Quis vero fuerit Verres iste (2), in quem Noster tam vehementer invehitur, etsi prope nemo ignorat, nostri est propositi quam brevissime dicere.

Fuit autem prætor iste in Sicilia, tam locupleti, tam vetere provincia, ita rerum pulcherrimarum atque pretiosissimarum cupidus avidusque, ut neget Cicero ullum argenteum vas, ullum corinthium aut deliacum fuisse, ullam gemmam aut margaritam, quidquam ex auro aut ebore factum, signum ullum æneum, marmoreum, eburneum, ullam picturam neque in tabula, neque in textili, quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit (3). Nec fuit tamen iste harum rerum ita cupidus ut omnes, qualibet arte elaboratas, æque comparaverit atque collegerit, qui contra secum habuit duos fratres, Tlepolemum et Hieronem, alterum e cera fingentem, alterum pictorem, qui odo-

(1) *In Verr.*, IV, 3. « Sed earum (Canephororum) artificem quem? quemnam? recte admones; Polycletum esse dicebant. »

(2) Vide : « *La galerie de Verrès* » par l'abbé Fraguier. Mém. de l'Acad. des inscript. et belles-lettres, tome IX.

(3) *In Verr.*, IV, 1.

rarentur omnia et pervestigarent ut, ubi quidque esset pulchrum, aliqua ratione invenirent (1). Quem locum suæ in Verrem orationis non leviter attingit Cicero, eo scilicet consilio ut istum Siciliæ prætorem non solum quæ non sua essent, sed etiam quæ non intelligeret, vi et dolo eripuisse, ostendat.

Quorsum tamen hæc invidia, si harum rerum cupidine qui tenetur, is servus est ineptiarum? Quod ne sibi forte objiceretur præcavit M. Tullius his verbis : « Et me hercules ego antea, tametsi hoc nescio quid nugatorium sciebam esse, ista intelligere (2), tamen mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere, quem scirem nulla in re quidquam simile hominis habere. Tum primum intellexi, ad eam rem istos fratres Cibyratas fuisse, ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur (3). »

Hic ego non possum quin Verris partes suscipiam, atque illum ostendam verissimum pulchritudinis judicium habuisse, utpote qui non minus artificii quam argenti erat cupidus. Hujus autem existimationis, ut putaretur in hisce rebus intelligens esse, eum ita studiosum fuisse accepimus ut « postea quam fuerit comperendinatus, argenteum, apud Sisennam, unumquod-

(1) IV, 13.

(2) « Dicet aliquis : Quid? Tu ista permagno æstimas? Ego vero ad meam rationem usumque meum non æstimo : verumtamen a vobis ita arbitror spectari oportere, quanti hæc, eorum judicio qui studiosi sunt harum rerum, æstimentur. » IV, 7, 59, 60.

(3) *In Verr.*, IV, 14.

que otiose contemplari et considerare cœperit; nec in ipso judicio timuerit ne, ipsius cupiditatis cujus insimularetur, suspicionem augeret. « Sit sane hæc agendi ratio aut ad stultitiam, aut ad amentiam referenda, non tamen ab avaritia profecta est. Quid dicam de turibulis quæ, vulsis emblematibus, remittebat (1)? Quod factum, si non abstinentiam, at certe quamdam artificii intelligentiam, testatur (2). — At Cibyratas fratres secum habebat, qui de optima arte judicarent. — Novum profecto et pene inauditum illud est si, quia alieno judicio usus fueris, ideo rudis et tiro habendus eris. Atqui vero odoratores, quod non inepti hominis fuit, egregios elegerat, si quidem illi, quod ex ipso Tullio cognoscimus, nulla signa, nisi pulcherrima, nullas tabulas, nisi exquisita arte perfectas, conquisiverunt. Ipse autem prætor, qui omnes artifices, cælatores ac vascularios conduxerat ut ex patellis et turibulis vulsa emblemata, in aureis poculis scite illigarent, in scyphis apte includerent, curam suæ officinæ adeo Cibyratis fratribus non permittebat, ut contra in hac « majorem partem diei cum tunica pulla sedere soleret et pallio (3). »

Videat autem M. Tullius ne, cum Verrem negat in his rebus esse intelligentem, sui ipsius animi forte retegat sensus; quod enim dixit « eas intelligere nescio quid nugatorium esse » hoc non vero animo dixit;

(1) IV, 21 : « Tenuit hoc institutum in turibulis omnibus, quæcunque in Sicilia fuerunt. »

(2) Vide narratiunculam de Pamphilo, IV, 14.

(3) *In Verr.*, IV, 24.

reipsa vero censet hoc humanius atque elegantius esse, quam ut Verrina ista natura percipi possit. Novit enim, et profecto admiratus est Noster, cum quæstor in Sicilia esset (1), omnia, quæ iste rapuit, pulcherrimæ artis monumenta : inde ira : « Tu videlicet, exclamat, solus vasis corinthiis delectaris? tu illius æris temperationem, tu operum lineamenta sollertissime perspicis?... Tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris, intelligis et judicas (2), »

Jam satis, ut opinor, perspicuum est non Verrem solum esse qui his rebus, cujuscumque modi sunt, delectetur. Has Tullius amat, has, ab conspectu suorum oculorum submotas, desiderat (3) : « Tu quæ ex fanis religiosissimis per scelus et latrocinium abstulisti, ea nos videre, nisi in tuis amicorumque tuorum tectis, non possumus. »

Non jam enim queritur quod sunt ex ædibus religiosissimis, aut ex privatis sacrariis ereptæ, sed quod non sunt in foro expositæ, ubi ab omnibus videri possint : hoc sibi dolendum, hoc populo romano contumeliosum sic lepide significat : « Silanionis opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, quisquam non modo privatus, sed populus potius haberet, quam homo elegantissimus atque eruditissimus Verres? Nimirum contradici nihil potest (4). »

---

(1) IV, 3 et 34 : « Quum quæstor essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. »

(2) IV, 44.

(3) *In Verr.*, act. II, lib. I, 21.

(4) *In Verrem*, IV, 57.

Quam invidiose ista dixerit neminem fugit; at quam ægre ferat Verrem ea domi habere, quæ ipse suo arbitrio intueri et admirari vellet, ex verbis sequentibus magis elucet : « Nostrum enim unusquisque, ait, qui tam beati, quam iste est, non sumus, tam delicati esse non possumus, si quando aliquid istius modi videre volet, eat ad ædem Felicitatis, ad monumentum Catuli, in porticum Metelli, det operam ut admittatur in alicujus istorum Tusculanum, spectet forum ornatum, si quid iste suorum ædilibus accommodarit : Verres hæc habeat domi; Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas. »

Miror equidem Tullio Verrem accusanti, quod non urbem ornare maluerit quam domum suam, in mentem non venisse se, non jam Siculorum suis ornamentis orbatorum, sed populi romani spoliorum spectaculo fraudati, causam agere. Non enim, ut furem et prædatorem alienorum bonorum, prætorem aggreditur, sed ut hominem ita natum, ita educatum, ita factum et animo et corpore, ut multo appositior ad deferenda quam ad auferenda signa esse videatur (1).

Nimirum in hac amplissima et gravissima causa, in qua de omni Sicilia spoliata ac prope nudata acturus est, diutius, ut opinor, in eo immoratur ut Verrem planius ostendat neque artes, neque litteras græcas didicisse, quasi videlicet de vera aut falsa istius eruditione, non jam de latrociniis ageretur (2).

---

(1) IV, 57.

(2) Act. II, lib. I, 51 : « Homo omnium rerum imperitus, quæ-

V. — Tullii Elegantia.

Jam vero maturum est demonstrare hæc omnia tantum ad speciem esse composita et ad id accommodata ut, non quis fuerit, sed qualis haberi voluerit M. Tullius, ostendant : quem contra, si vel paululum attenderimus, videbimus hunc hominem esse qui, non modo Græcos, verum etiam omnia quæ ab iis fuere inventa aut exculta, diligat atque amet; cui luxuria non admodum displiceat, si modo ingenua sit ac liberalis; qui signa, qui tabulas pictas ita intelligat et judicet, ut nescio an aliquem scripserit librum, in quo elegantias istas non suo sermoni admisceat, aut cum his non artem oratoriam apte comparet.

Quantum Cicero Græcos amaverit (1), atque artes

---

rit quid sit ad perpendiculum.» Lib. IV, 57 : « Nam quum ipsa fuit (Sappho) egregie facta, tum epigramma græcum pernobile incisum habuit in basi, quod iste eruditus homo et græculus, qui hæc subtiliter judicat, qui solus intelligit, si unam litteram græcam scisset, certe non sustulisset. » — Lib. V, 57. « Sed scriptum exstat in iisdem litteris, quod iste homo barbarus ac dissolutus neque attendere unquam, neque intelligere potuit : ἐδικώθησαν. »

(1) *Pro L. Flacco*, IV, 9 : « Si quis unquam de nostris hominibus a genere isto, studio ac voluntate, non abhorrens fuit, me et esse arbitror, et magis etiam tum, quum plus erat otii, fuisse.» Distinguit in eadem oratione, Athenienses Lacedæmoniosque, ex quibus dicit constare veram atque integram Græciam, ab asiaticis Græcis, qui plerique impudentes illitterati sunt et leves. XXVI, XXVII. Vide etiam *ad Quintum Epist.*, lib. I, ep. I, 9, et *ad Atticum*, I, XV. « Nunc quoniam et laudis avidissimi semper fuimus et præter ceteros φιλέλληνες et sumus

eorum quanti fecerit, ex ipso cognoscimus. Quanquam enim ea studia, quæ apud Romanos viris civitatis principibus non ita decora esse censebantur (1), sæpius videtur excusare quam laudare, interdum tamen naturæ suæ obsequitur et sub Antonii persona : « Idem existimavi, inquit, pecudis esse, non hominis, cum tantas res Græci susciperent, profiterentur, agerent, seseque et videndi res obscurissimas, et bene vivendi, et copiose dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admovere aurem, et, si palam audire eos non auderes, ne minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, subauscultando tamen excipere voces eorum, et procul, quid narrarent, attendere (2). »

An vero M. Tullius, qui Græcis aurem libenter admovebat, luxuriam vere elegantem atque ingenuam omnino respuerit, haud multæ operæ quæstio est.

---

et habemur... » *ad Eumdem* lib. VI, *Epist.* I, 23. « Audio Appium προπύλαιον Eleusine facere : num inepti fuerimus, si nos quoque Academiæ fecerimus? Puto, inquies. Ergo id ipsum scribes ad me. Equidem valde ipsas Athenas amo. » Et *Epist.* VI, 2. Vide etiam *de Haruspicum responsis*, 19 : « Quam volumus licet, P. C., ipsi nos amemus ; tamen nec numero Hispanos... nec artibus Græcos... superavimus.

(1) *De Orat.*, lib. II, 36 : « Semper egò existimavi, jucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quam minimam artificii alicujus, deinde nullam græcarum rerum significationem daret. »

(2) *De Oratore*, lib. II, 36. « Il fut toute sa vie le disciple des Grecs ; et parmi ces savants étrangers, soit philosophes, soit rhéteurs, que la curiosité, l'intérêt ou le droit barbare de la victoire amenaient à Rome, à peine en est-il un seul dont il n'ait consulté l'expérience et les lumières. » M. V. Le Clerc, Trad. de Cicér. disc. prél. 20.

Nam, ut Lucullum omittam, quem maximis effert laudibus, quadam admista vituperatione quod villas habeat nimio luxu diffluentes, M. Æmilium Scaurum, splendidissimum hominem, a Triario accusatum quia non satis abstinenter se apud Sardos gesserat, defendit (1); M. Cœlio ita patrocinatur, ut, apud juvenes luxuriam leve delictum esse, censere videatur. Nimirum, in hac causa oranda, non jam Catonis supercilium veretur. Ab inferis facete excitat aliquem ex barbatis illis « non barbula quidem, sed illa horrida statuarum antiquarum et imaginum; » ipse autem, omissa graviter et prisce agendi ratione : « Si quem forte inveneritis, inquit, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum; non odore ullo, non tactu, non sapore capiatur; excludat auribus omnem suavitatem : huic homini ego fortasse et pauci Deos propitios, plerique autem iratos putabunt (2). »

Sthénius quidem non aspernatus est pulchritudinem rerum, quæ paulo magis animum cujuspiam aut oculos possent commovere; omnia vero ejus generis ornamenta hujus e domo Verres abstulit : inde Tullii miseratio in Sthenium, qui « ab adolescentia paulo studiosius hæc compararat : supellectilem ex ære elegantiorem et deliacam et corinthiam tabulas pictas,

(1) *Fragm.* 45, i, 45, k.

(2) *Pro M. Cœlio,* XII, 29; XIV, 33; XVII, 39, 42. Vide etiam *pro C. Rabirio Postumo,* X, 26. Excusat illum, quod non togatus, sed palliatus, Alexandriæ visus esset, exemplo Sullæ et L. Scipionis « quorum impunitas fuit non modo a judicio sed etiam a sermone. » Vide Plutarch. *Parall. Cicer. et Dem.*

etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, satis. » Quam sunt ista ad veniam composita ! Quam levis hæc admonitio : « Paulo studiosius » sed perge ad sequentia : « Quæ, cum esset in Asia adolescens » (hæc habent excusationem, nempe adolescentia et Asiatica commoratio), « studiose, ut dixi, compararat, non tam suæ delectationis causa, quam ad invitationes adventusque nostrorum hominum, suorum amicorum atque hospitum (1). » Ergo luxuriam si quis non sibi tantum quæsiverit, hic culpa fere omni liberabitur, judice Tullio ; at non ille qui, vel in disputationibus, quod L. Piso faciebat, oculorum et aurium delectationi ventrem soleat anteferre (2) : « Est enim quædam luxuria, quanquam omnis est vitiosa atque turpis, ingenuo ac libero dignior. »

Sit sane illud ridiculum Pisoni quod, calices quidem non pulcherrimos, sed maximos, haberet; quod exstructa esset ejus mensa, non conchyliis aut piscibus, sed carne subrancida; quod denique servi sordidati, nonnulli etiam senes, non splendidi et pueri, ministrarent : nunquam tamen hæc in ludibrium vertisset, neque illa « quod Piso nihil apud se lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, quod denique nullum toreuma, haberet » per jocum laudasset Tullius, nisi elegantiam, duntaxat ingenuam atque liberalem, non solum venia sed etiam laude aliqua dignam esse existimasset. — At de se hoc verum esse ipse negat — non tamen

(1) *In Verr.*, II, 83.
(2) *In Pison.*, XXVII, 66, 67.

omnino, quippe qui de luxuria aliena multa querens, se quoque confitetur, morum et temporum vitio, aliquantum etiam in sæculi sui errore fortasse versari (1). Age sit illud ab eo negatum : nonne etiam negavit se harum rerum, quibus Verres delectabatur, non rudem esse (2) ? Nonne alias, cum fateretur se quoque oculos eruditos habere, hæc subinde adjecit : « Sed ita venusta habeantur ista, non ut vincula virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum (3). »

---

(1) *Parad.*, VI, 3. — De villis Ciceronis. Vid. : 2° *Suppl. de la vie de Cicéron* par M. Vict. Le Clerc, p. 322, not. 1 : « *Anagninum, Antium, Arpinas, Astura, Calenum, Cluvianum, Cumanum, Faberianum, Formianum, Frusinas, Fundanum, horti suburbani, incerti nominis, lacus* (Baianum) *Lanuvinum, Pompeianum, Puteolanum, Sinuessanum, Tusculanum, Vicus* (Ep. fam., XIV, 1), *Vestianum.* » « Si l'on veut joindre à la liste, dit M. Vict. Le Clerc, cette maison (*Antias*), celle qu'il avait encore dans *Anagni* même, aussi bien qu'aux environs de cette ville, on en aura vingt-trois ; mais il faut remarquer que plusieurs n'étaient que de petites maisons de passage, comme celle de Sinuesse, et que Cicéron s'était successivement défait de quelques-unes pour en acheter d'autres. » — « On comprend, à l'aspect de cette habitation de Pompéi..., l'intérêt que prenait Cicéron aux embellissements qu'il dirigeait dans la maison de son frère Quintus, à Arpinum (*ad Quint.*, III, 1) : intercolumnia deambulationis. . sylva viridicata aviarium... pavimentata porticus. » R. Rochette, *sur des mosaïques de Pompéi*, Journ. des sav., mai 1833.

(2) *In Verr.*, lib. II, 35. « Nos qui rudes harum rerum sumus. »

(3) *Parad.*, V, c. 2.

VI. — Tullius oculos eruditos habet.

Scio equidem eum fuisse non unum ex his hominibus quos Cato, apud Sallustium (1), tam vehementer appellat « ut qui semper domos, villas, signa, tabulasque suas pluris quam rempublicam fecerint; » sed eum quoque exstitisse scio qui non isto fuerit animo erga artis prope divinæ monumenta, ut ea tantum esse puerorum oblectamenta reipsa censuerit. Nonne enim Cereris quoddam signum esse tale confessus est ut « homines, cum viderent, aut ipsam videre se Cererem, aut effigiem Cereris, non humana manu factam, sed de cœlo lapsam, arbitrarentur (2)? » Nonne, cum mentionem affert tabularum, in quibus erant imagines Siciliæ regum ac tyrannorum, se quoque ait non solum pictorum artificio, sed etiam commemoratione hominum, et cognitione formarum, delectari (3)? Non sunt igitur nugatoria illa quæ et opificum arte et memoria

(1) *Catil.*, LII.

(2) *In Verr.*, lib. V, 72 et lib. IV, 49.

(3) Lib. IV, 55. Vide Orat. c. II, 5. « Quorum (opificum) tanta multitudo fuit, tanta in suo cujusque genere laus, ut, quum summa miraremur, inferiora tamen probaremus » — Raoul Rochette, *Journal des savants*, août 1833, de hoc loco Ciceronis *in Verr.*, IV, 55 : « Pugna erat equestris Agathoclis regis in tabulis picta præclare... His autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur. » Ce passage n'a pas besoin de commentaire; on y voit comment étaient placés dans l'intérieur des temples les tableaux sur bois, de manière à couvrir la nudité des murailles, et l'on y apprend dans quel sens il faut entendre les expressions de Pausanias : « τοίχων γραφαί, parietes picti. »

magnorum virorum, voluptatem atque admirationem animo movent; quod si puerilis voluptas illa est, profecto repuerascit M. Tullius, qui, in sacrario Heii, quattuor signis pulcherrimis se posse delectari non negat (1); quique in Sicilia, cum prætor esset, omnia, quæ quidem pulchra essent, sibi ab incolis demonstrari libenter, opinor, patiebatur.

Hoc imprimis vidit et valde admiratus est Dianæ simulacrum (2), cujus apud eum exstat tam elegans tamque venusta descriptio : « Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola : verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis : sagittæ pendebant ab humero : sinistra manu retinebat arcum : dextra ardentem facem præferebat (3). »

Pari subtilitate ac memoria eadem describit Stesichori statuam « senilem, incurvam, cum libro, summo, ut putant, artificio factam (4). » Vix se continet quin nimiis laudibus efferat Herculis ex ære simulacrum (5). « Quo non facile dixerit quicquam se vidisse pulchrius, tametsi non tam multum in istis rebus intelligat, quam multa viderit. » Vidit autem idemque studiose, ut opinor, contemplatus est statuas omnes, quæcumque erant singulari opere artificioque perfectæ, is qui, in æde Liberæ, vel parvum caput pulcherrimum

(1) *In Verr.*, lib. IV, 2.

(2) Lib. IV, 33. « Nam propter eximiam pulchritudinem, etiam hostibus digna, quam sanctissime colerent, videbatur. »

(3) Lib. IV, 34.

(4) Lib. II, 35,

(5) Lib. IV, 43.

non semel inspexit (1); nec Agrigenti præteriit signum quoddam Apollinis, quin in hujus femine litterulis minutis argenteis nomen Myronis inscriptum legeret (2).

Num vero fuit qui non sibi intellecta, tam diligenter tamque libenter spectaret opera, aut qui eadem, toties et tam attento animo spectata, non demum intelligeret? « Adhibita vero exercitatione et arte, ut oculi pictura teneantur, quis est, quin cernat, quanta vis sit in sensibus? Quam multa vident pictores in umbris et eminentia, quæ nos non videmus (3)? » Quæ, etsi de ipsa artium exercitatione dicta sunt, profecto ad consuetudinem eadem visendi nonnihil valent. Nec dubium est quin suos oculos ita erudierit Noster, qui, cum sensus bestiarum humanis cum sensibus comparat, statim animadvertit oculos, in iis artibus, quarum judicium est oculorum, in pictis, fictis cælatisque formis, multa cernere subtilius : « Colorum etiam, inquit, et figurarum tum venustatem atque ordinem, et, ut ita dicam, decentiam, oculi judicant, atque etiam alia majora (4). » Agnosco hominem qui, harum rerum peritissimus judex, Verrem ita increpat : « Tu videlicet solus vasis corinthiis de-

(1) IV, 57.

(2) IV, 43 et 60. Vide mentionem de signis atque tabulis quæ apud quosque visenda sunt tota Asia et Græcia. — *Orat.*, XXXI, 110 : « Demosthenis quidem, cujus nuper inter imagines tuas, ac tuorum (quod eum, credo, amares), cum ad te in Tusculanum venissem, imaginem ex ære vidi. »

(3) *Academ.*, lib. II, 7.

(4) *De Nat. deor.*, lib. II, 58.

lectaris : tu illius æris temperationem, tu operum lineamenta sollertissime perspicis. » Idem est qui, Atheniensium more, φιλόκαλος, eam in corpore vult esse pulchritudinem quæ, apta compositione membrorum, moveat oculos, et delectet hoc ipso, quod inter se omnes partes, cum quodam lepore, consentiant (1). Dixeris signum aliquod Bacchi, venustum et elegans, a Cicerone descriptum : quod fortasse in animo habuit is qui statuas ita memoriæ infixas tenebat, ut Sospitam diceret se ne in somnis quidem videre, nisi « cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis (2). » — Quam vero pulchritudinis effigiem animo ipse concepit, eam vix apud homines expressam invenit : « Quotus enim quisque formosus est? inquit. Athenis cum essem, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur (3). » Ne simulacra

(1) *De Officiis*, lib. I, 28. Vide etiam de Capitolii fastigio, *de Orat.*, lib. III, 46.

(2) *De Nat. deor.*, lib. I, 29. — « Quando poi avesse considerato, che la pelle avea sulla testa le corna d'una capra, rotte bensi, ma abbastanza evidenti, non avrebbe tardato a ravissarla per la Giunone Sispita o Sospita, cioè salvatrice de Lanuvini, rappresentata su tante monete romane... e se la restituirono lo scudo, la lancia, e i calzari recurvi, attrezzi sensa de quali, dice Tullio, che nessuno si rappresentava Giunone Lanuvina. » *Museo Pio-Clementino*, tom. II, tavol. XXI. — Vide etiam *de Nat. deor.*, I, 23 : « Nobis fortasse sic occurrit, ut dicis : Jovem, Junonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos, ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt; neque solum facie, sed etiam ornatu, ætate, atque vestitu. »

(3) *De Nat. deor.*, lib. I, 28, 79.

quidem Phidiæ, quibus in illo genere perfectius quidquam se vidisse negat, neque Ialysus, quem Rhodi vidit, neque Venus Coa, neque signum Jovis Olympii, neque Doryphorus, etsi omnia pulcherrima sunt, hanc pulchritudinis imaginem, suo judicio, effingere confirmat quam neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu perceptam, cogitatione tantum et mente complectitur (1). « Varia sunt judicia, inquit, nec facilis explicatio, quæ forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita, et opaca : contra alios nitida, læta, collustrata delectant. Quid est, quo præscriptum aliquod, aut formulam exprimas, quum in suo quodque genere præstet, et genera plura sint? Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus; existimavique, in omnibus rebus esse aliquid optimum, etiamsi lateret; idque ab eo posse, qui ejus rei gnarus esset, judicari (2). »

Quoniam vero ita sentiebat M. Tullius, notumque illud Platonicum habebat : τὰ καλὰ χαλεπὰ εἶναι, numquam, credo, vere existimavit hunc esse « rerum levium et forsitan contemnendarum » opificem qui, cum faceret Jovis formam aut Minervæ, non contemplabatur aliquem e quo similitudinem duceret, sed cujus in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat (3). Nec pro-

(1) Passim ex *Oratore*, cap. II.
(2) *Orator.*, XI, 36.
(3) *Orat.*, II, 9.

fecto Tullius ullo modo contemnendos esse censuit Phidiam, Polycletum, Zeuxidem, clarissimos artifices, quos quidem laudis, non voluptatis quærendæ auctores non semel affert (1).

Audiamus vero aliquem ex Stoicis oratorem, sed qui nulla sententia, nisi Ciceroniana, in eloquendo utatur : « Quid prosunt istius modi artifices? Siquidem ad morum corruptelam suis operibus conferunt : Quid? si vere dixerit Cato infesta signa ab Syracusis Romæ illata fuisse. Nonne vero melius est iis favere quorum opera sunt muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque quæ ad usum reipublicæ pertinent (2)? Nonne etiam vituperandus est Pericles, princeps Græciæ, quod tantam pecuniam in præclara illa propylea conjecerit? Nonne denique Atheniensium plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervæ signum ex ebore pulcherrimum (3) ? »

Ad quæ Tullius forsitan respondeat : « Sint quidem ista vera, sitque operarius utilior quam artifex; non tamen quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit ponderandum est. Ego vero me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium; præsertim cum pauci pingere egregie possint aut fingere, operarii aut bajuli deesse non possint (4). »

Non sunt profecto ista verba, etsi vix Phidiam vi-

(1) *De Finib.*, lib. II, XXXIV, 115, et *Tuscul.*, I, XV, 34.
(2) *De Officiis*, lib. II, 17.
(3) *Brutus*, LXXIII, 257.
(4) *Ibidem*.

dentur honestare, quæ probasset Cato major, utpote quibus utilia delicatis, necessaria supervacuis postponuntur.

Quomodo autem artifex suum munus expleat; num scite an tantum sollerter opera sua perficiat, licet ex disputatione academica inter Lucullum et Ciceronem cognoscamus (1). Artem ullam posse exsistere negat Lucullus, quæ non ex multis animi perceptionibus constet, quas si subtraxeris, nihil intererit artificem inter et inscium : non enim fortuito hic artifex dicitur esse, ille negatur, sed cum alter percepta et comprehensa tenere videtur, alter non item. Cumque artium aliud ejusmodi genus sit, ut tantummodo animo rem cernat; aliud, ut moliatur aliquid et faciat : omnibus artificibus continget ut nihil arte efficere valeant, si aut nulla sunt quæ percipi, aut a falsis internosci possint. Ad quæ, jocose satis nec inficete, respondet Tullius se a Lucullo in invidiam et tanquam in concionem vocari : « Quo enim spectat illud, inquit, cum artificia tolli quereris a nobis, nisi, ut opifices concitentur? » Deinde irrisis parumper Stoicis, qui negabant quemquam scire rem ullam, nisi sapientem, etiam si defenderent vel insipientem multa comprehendere : « An pateretur, ait, hoc Zeuxis, aut Phidias, aut Polycletus, nihil se scire, quum in his esset tanta solertia? Profecto desinerent irasci, si, quam vim habere diceretur scientia, ab aliquo audirent. » Nec Ciceroni quidem succenserent, qui id tollat, quod

(1) *Academ.*, lib. II, 7.

nusquam est, quod autem satis est, ipsis relinquat (1).

Censuit enim Noster id quod probabile esset satis magnam vim habere ad artes. Quod, credo, recte ab eo fuisse judicatum omnes facile consentient. Verumtamen hic ego non possum non mirari quod is, qui tam scite tamque subtiliter de his rebus judicare solet, aliquando etiam in iisdem prope insanire videatur. Cum enim in primo de Divinatione libro inducit Quintum ita loquentem (2) : « Adspersa temere pigmenta in tabula oris lineamenta effingere possunt; num etiam Veneris Coæ pulchritudinem effingi posse adspersione fortuita putas? » Hæc contra opponit : « Habes et respersionem pigmentorum... idem Carneadem fingere dicis de capite Panisci (3). Quasi non potuerit id evenire casu, et non in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita (4). » Sint sane illa capita in marmore inclusa, non tamen cujusvis est opificis ea in lucem eruere, nec profecto casus pro Praxitele erit. « Quare id non possit evenire non equidem video, inquit Tullius, illa enim ipsa efficiuntur detractione; nec quicquam illuc affertur a Praxitele : sed quum multa sunt detracta, et ad lineamenta oris perventum

(1) *Academ.*, lib. II, 47.

(2) *De Divinat.*, lib. I, 13.

(3) Dixerat Quintus : « Fingebat Carneades, in Chiorum Lapicidinis saxo diffisso caput extitisse Panisci. Credo, aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam factam a Scopa diceres. »

(4) *De Divinat.*, lib. II, 21.

est, tum intelligas, illud, quod jam expolitum sit, intus fuisse (1). »

Tædet vero nos in his diutius immorari quibus manifestum est Ciceronem non impune societatem iniisse cum hominibus græculis quos, ut cum ipso loquamur, « verbi controversia jam diu torquet, contentionis cupidiores quam veritatis. » Hoc vero mihi longe antiquius est si demonstraverim Ciceronem, postquam dixit id quod probabile esset satis magnam vim habere ad artes (2), hanc sententiam quasi exemplo confirmare. Quod enim animadvertit, nempe Myronem, Polycletum, Lysippum, etsi una est ars fingendi in qua præstantes fuerint, inter se dissimiles fuisse (3), id nunquam evenisset, si vera, non autem probabilia secuti essent. Hoc autem probabile tale est ut qui id assecuti sint, quanquam inter se dissimiles, æque tamen placeant.

Item de pictura, cujus etsi una est ars ratioque, dissimillimi tamen sunt inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles, neque eorum quisquam est cui quidquam in arte sua deesse videatur. Hæc de Zeuxide et Apelle quæ jure dicta sunt, esse supra laudem Aglaophontis forsitan censuerit Plinius, qui eum jam illustrem, non tamen artis luminibus annumerandum esse scribit (4);

---

(1) Plin., *Hist. nat.*, XXVI, 2 : » Sed in Pariorum mirabile proditur, gleba lapidis unius cuneis dividentium soluta, imaginem Sileni exstitisse. »

(2) *Academ.*, II, 47.

(3) *De Orat.*, III, 7.

(4) Plin., XXXV, 36.

neque in hoc tantum Plinius a Nostri sententia abhorret; Tullius enim Zeuxidis et Polygnoti et Timanthis et eorum qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus, formas et lineamenta laudat (1); at in Echione Nicomacho, Protogene, Apelle jam perfecta esse omnia judicat; quasi videlicet Apelles plus quam quattuor coloribus usus fuerit; quod, Plinio repugnante, sic Ciceroni visum fuisse opinor, quia pictor ille atramento quodam tenui absoluta opera illinebat, quæ forsitan variorum colorum speciem ita referebant. Constat vero hoc atramentum, quod claritates colorum excitabat, iisdem tamen nimis floridis austeritatem occulte dedisse (2). Hanc autem austeritatem Ciceronis oculis valde acceptam fuisse ex ipso cognoscimus : « Quanto colorum pulchritudine et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in veteribus? quæ tamen, etiamsi in primo adspectu nos ceperunt, diutius non delectant; quum iidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque teneamur (3). »

Nec tamen propterea credamus M. Tullium ex his fuisse hominibus qui proprio quodam intelligendi ambitu, Polygnoti atque Aglaophontis, quorum simplex est color, tam studiosi erant, ut illa prope rudia ac velut futuræ mox artis primordia, maximis qui post eos exstiterunt, auctoribus præferrent (4). Hæc enim

(1) *Brutus*, XVIII, 70.
(2) Plin., XXXV, 36.
(3) *De Orat.*, lib. III, 25.
(4) Quintil. XII, 10.

sententia minime Ciceroniana esset : id vero, ut opinor, significare voluit, nempe veterum tabularum colores vetustate non tam obscuratos quam temperatos ut, præ recentiorum picturarum splendore, oculos delectarent. Nam, si verum illud est, quod ipse dixit (1) : « Pictori esse expositos colores ad variandum, » non ipsa varietas culpanda, sed quæ nimia est. Sic enim intelligenda est, ut opinor, ejusdem sententia qua antiquitatis nimios amatores lepide præstringit : « Quid si *antiquissima* illa pictura paucorum colorum (*nempe Zeuxidis et Polygnoti et Timanthis, qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus*), magis quam hæc jam perfecta (*nempe Echionis, Nicomachi, Protogenis, Apellis, in quibus omnia jam sunt perfecta*) delectet (2)? »

Horridum autem obsoletumque, si quid vel in signis tale esset, minimè placuisse Tullio patet ex ipsius judicio de signis Canachi (3), « quæ sunt rigidiora quam ut imitentur veritatem; Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi; nondum Myronis satis ad veritatem adducta; jam tamen, quæ non dubites pulchra dicere; pulchriora etiam Polycleti, et jam planè perfecta, ut mihi quidem videri solent. » Hanc de Polycleto sententiam fuisse veterum prope omnium judicio comprobatam a Quintiliano accepimus (4); qui tamen eum censet, ut humanæ formæ decorem addi-

(1) *De Orat.*, lib. III, 57.
(2) *Orat.*, 50.
(3) *Brut.*, XVII, 70.
(4) *Inst. orat.*, XII, 10.

derit supra verum, ita non explevisse deorum auctoritatem.

Nusquam autem in Ciceronis libris reperio, quod ab eo de Lysippo affirmatum Plinius scribit (1) : nempe hunc opificem primo ærarium fabrum, audendi rationem cepisse pictoris Eupompi responso : eum enim, interroganti quem sequeretur antecedentium, dixisse, demonstrata hominum multitudine, « naturam ipsam imitandam esse, non artificem. » Esto illud Noster narraverit; tamen alicubi memorat vocem quamdam Lysippi, qui Polycleti doryphorum sibi magistrum fuisse confiteri solebat (2). Fuit etiam idem artifex, Charis, teste Tullio, magister non isto modo ut caput ostenderet Myronis, brachia Praxitelis, pectus Polycleti, sed ut omnia coram discipulo faceret (3).

Jam autem mirum fortasse videbitur Tullium, qui rerum illarum se rudem esse sæpissime professus est, singulorum artificum virtutes atque vitia tam scite tamque subtiliter dignoscere : at ipse addit, ut nugatoriæ scientiæ suspicioni occurrat; ea quæ dicturus est omnibus nota esse qui hæc minora animadvertunt (4).

Viderint alii sintne hæc minora an non judicio Nostri, at, quod bene scio, hæc, tametsi minora sunt, magnus orator animadvertit et mire intellexit. Itaque

(1) Plin., XXXIV, 19.

(2) *Brutus*, LXXXVI, 296.

(3) *Ad Herennium*, lib. IV, 6; vide etiam de Lysippo, *Acad.* II, 26.

(4) *Brutus*, XVIII, 70.

mihi videtur, suæ ipsius eruditionis conscius, non sine aliquo imperitorum contemptu, scripsisse : « Quod in poematibus, idem in picturis usu venire : ut delectentur imperiti, laudentque ea quæ laudanda non sint; ob eam forsitan causam quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui quidem, quid in unaquaque re vitii sit, nequeant judicare (1). » Non tamen omnem dijudicandarum artium sensum imperitis adimit, qui contra : « omnes, *inquit*, tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quæ sint in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant : idque cum faciunt in picturis et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti, tum.... (2). »

Quam multa autem de pictura et de statuaria narraverit, aut ex iis artibus deprompta in eloquentiæ disciplinam detorserit, vix opus est enumerare, præsertim cum hæc forsitan notiora sint; quæ tamen omnia si quis animo comprehenderit, de Tullio, ut opinor, illud asseverabit, quod ipse ait de fictoribus, qui, etsi pictura non utuntur, tamen utrum sciant pingere an nesciant non obscurum est (3). Quoties enim, ut in hac Catonis laude, verba ex pictura translata usurpat :

---

(1) *De Officiis*, lib. III, 3.

(2) *De Orat.*, lib. III, 50, et in eodem libro, 51 : « Mirabile est, cum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam non multum differat in judicando. Ars enim cum a natura profecta sit, nisi natura moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur. »

(3) *De Orat.*, lib. I, 16.

« Intelliges, inquit, nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem et colorem defuisse (1). » Idem, cum statuit artis cujusque, si modo difficillima tradita sint, reliqua, quia aut faciliora aut similia sunt, tradi non necesse esse, illud quoque, ex pictura desumptum, affert, nempe qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum, cujusvis vel formæ, vel ætatis, etiamsi non didicerit, pingere : neque esse periculum qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit (2).

Hic equidem reor Tullium mire distinxisse quod cuique pictori proprium est : ut alius hominem, alius quadrupedem egregie pingat, ita tamen ut qui hominis speciem, cæterorum hominum, non autem quadrupedum formam possit optime effingere. Hydra enim et pellis (3), quas ait a Polycleto Herculem fingente posse effingi, etiamsi hæc artifex nunquam separatim facere

(1) *Brutus,* 298 et 320, de Hortensio : « Primus et secundus annus, et tertius tantum quasi de picturæ veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus, et intelligens posset cognoscere. » — *Orat.*, 96 : « Est enim quoddam etiam insigne et florens orationis, pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. » — *De Natur. deor.*, I, 27 : « Cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta atque formas. »

(2) *De Orat.*, II, 16. Vide etiam *de Offic.*, I, 41 : « Ut enim pictores et ii qui signa fabricantur, et vero etiam poetæ, suum quisque opus a vulgo considerari vult, ut, si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur... »

(3) *De Orat.*, II, 16. Vide etiam de Capella scite facta et venuste : *in Verr.*, II, 35.

didicisset, non ejus sunt generis quod ars quædam certa ac definita sibi vindicet.

Aliquando etiam Noster signum aliquod pulcherrimum aut nobilem quamdam tabulam obiter innuit, quasi ejusmodi opera semper animo objecta habeat. Tum enim Timanthem, exempli gratia, affert, qui obvolvendum caput Agamemnonis esse censuit, quoniam illum luctum penicillo non poterat imitari (1); tum Phidiæ Clypeum, quem si quis dissolverit, collocationis universam speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem (2); tum denique Venerem illam cujus nemo pictor inventus esset qui, eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, posset absolvere (3).

Non item esse ait de Phidia, qui potest a principio instituere signum idque perficere, potest ab alio inchoatum accipere et absolvere (4).

---

(1) *Orat.*, XXII, 74.

(2) *Orat.*, LXXI, 234, et *de Orat.*, II, 73 : « In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut tanquam Phidias, Minervæ signum efficere possit : non sane quemadmodum, ut in Clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit. »

(3) *De Officiis*, lib. III, 2, 10 : « Oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat. » Vide etiam *Epist. ad Diversos*, I, ep. IX, 4 : « Nunc ut Apelles Veneris caput et summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit, sic quidam homines in capite meo solum elaborarunt, reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt. » *De Nat. deor.*, I, 27 : « Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa ; corpus illud non est, sed simile corpori ; nec ille fusus, et candore mixtus rubor, sanguis est, sed quædam sanguinis similitudo. »

(4) *De Finibus*, IV, XIII, 34.

Interdum et sermonibus narratiunculas inserit, quarum unam de Zeuxidis Helena in principio libri *de Inventione* secundi posuit; modo quoddam Apellis refert dictum de pictoribus qui non sentirent quid esset satis (1); modo ad Atticum de Pompeio scribens : « Ut Apelles, inquit, si Venerem aut si Protogenes Ialysum illum suum cœno oblitum videret, magnum, credo, acciperet dolorem : sic ego hunc, omnibus a me pictum et politum artis coloribus, subito deformatum, non sine magno dolore vidi (2). »

Jam, credo, habemus confitentem reum, nec nobis facile persuadebitur Ciceronem hunc Arpinatem fuisse, qui vult videri, agrestem et rusticum; qui Baias, a Clodio sibi objectas, aut negat aut valetudine excusat (3); quique clarissimorum artificum nomina tum didicit primum cum in Verrem inquireret; licet enim quadam verborum atque sententiarum ostentatione se rusticum esse fateatur : quod nec manicatam tunicam, nec mitram, nec purpureas fascias habeat, non tamen idcirco æquiore animo fert Clodium sibi videri festivum, elegantem et solum urbanum, quam Verrem solum esse qui de tabulis pictis et de signis bene ac subtiliter judicet.

---

(1) *Orat.*, XXII, 73.

(2) *Ad Attic.*, lib. II, ep. XXI, 2.

(3) Fragm. *in Claudium et Curionem*, IV. Vide etiam *ad Attic.*, lib. I, ep. XVI : « Surgit pulchellus puer; objicit mihi, me ad Baias fuisse, falsum. »

VII. — Epistolæ ad Atticum, ad Fab. Gallum.

Quomodo vero huicce helluoni signorum tabularumque bellum non indixisset Noster, cujus epistolas habemus, ad Atticum scriptas, quibus ab amico efflagitat ut signa ei quamplurima mittat? « Signa Megarica et hermas de quibus ad me scripsisti vehementer exspecto. » Ne vero hæc, ut villæ ornamenta, tantum requirere existimetur : « Quidquid ejusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere et arcæ nostræ confidito. Genus hoc est voluptatis meæ : quæ γυμνασιώδη maxime sunt, ea quæro (1). » Non ea se velle solum ait, sed maxime (2); nec mirum; non enim Tullius, quem antea cognovimus adeo anxium et sollicitum fuisse ne, ut multi civitatis principes, ob nimiam istarum rerum cupidinem, luxuriæ in suspicionem veniret, usque eo sui existimationem neglexit ut eadem quoquo pretio emere et in suis villis habere exposita vellet, quæ esse apud alios haud æquo animo passus erat. Vult quidem « signa ad se mittantur », sed maxime quæ apta sint bibliothecæ, studiisque suis congruant; ita enim, putat res istius modi, non propter ipsas visum iri a se expetitas, sed propter litteras quibuscum quamdam veluti

(1) *Ad Attic.*, I, 9.

(2) *Ad Attic.*, I, 10 : « Signa nostra et hermeraclas, ut scribis, quum commodissime poteris, velim imponas, et si quod aliud οἰκεῖον ejus loci, quem non ignoras, reperies, et maxime quæ tibi palæstræ, gymnasiique videbuntur esse.

cognationem habeant. Quamobrem ad Gallum hæc scribit (1) : « Prorsus ex istis emptionibus nullam desidero; tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omnino signorum omnium non æstimo, tanti ista quattuor aut quinque sumpsisti. » Bacchas enim Ciceroni emerat Gallus : inde, opinor, paulo severior graviorque sententia Nostri, qui fortasse ita loquitur, non solum verbi augendi gratia, sed etiam ut apud hominem delicatum atque elegantem ipse philosophi personam retinere videatur. Attico enim, longe sibi amicissimo, de statuis emendis scribit : « Arcæ nostræ confidito. » Ceterum multo magis Attici judicio confidit quam Galli, quem, Bacchas a se emptas cum Musis Metelli inepte comparantem, satis acriter refellit : « At quid simile? Primum, ipsas ego Musas nunquam tanti putassem : atque id fecissem Musis omnibus approbantibus. Sed tamen erat aptum bibliothecæ, studiisque nostris congruens. Bacchis vero ubi est apud me locus? » Profecto aut insanivit Gallus, qui non intellexit ista signa viro ad stoicam disciplinam mores componenti non apte convenire; aut, quod verisimilius est, credidit Tullium, quem bene noverat oculos eruditos habentem, sola operum pulchritudine ad hujusmodi signa emenda adduci solere. At Bacchæ istæ non ita sunt pulchræ ut Noster, propter eas, luxuriosus haberi velit : « Pulchellæ sunt, novi optime et sæpe vidi », inquit Tullius, cui nescio an ulla statua aut non visa, aut non audita fuerit; « sed ea signa ego emere soleo, quæ ad

(1) *Ep. fam.*, lib. VII, ep. XXIII, *ad Gallum*.

similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum.» Postquam vero jocatus est nonnihil de Martis, Saturni atque Mercurii signis (1), pergit dicendo exhedria (2) quædam sibi instituta esse in porticula Tusculani : « Ea volebam, inquit, tabellis ornare; etenim, si quid generis istius modi me delectat, pictura delectat.» Quæ verba, etsi sunt tanquam fastidientis res istas et, ut leviores, contemnentis, quid vere significent jam nemini, opinor, obscurum est.

Cum enim pessimi cives eo tempore iidem et maxime luxuriosi essent, tum ut quisque aut bonus erat, aut boni famam sibi optabat, ita signis tabulisque pictis quasi bellum indicebat : quod inter alios, Appium censorem fecisse patet ex quadam M. Cœlii ad Ciceronem epistola (3). Quomodo autem Noster, cum res ita se haberent, ulla signa, ullas tabulas sibi emere sustinuisset, nisi quæ suis studiis tantum idonea esse viderentur? Fuit profecto hujus generis statua illa Platonis, propter

(1) De trapezophoro cujus in eadem epistola nomen occurrit, vide Vict. Le Clerc, not. 147, ad lib. VII, *Ep. famil.* : « Une statue, apparemment, qui soutenait une table, suivant la signification du mot grec. »

(2) « Lieux propres à se reposer sous des portiques, où l'on voit souvent, dans les ouvrages de Cicéron, qu'il aimait à former des conversations savantes avec des amis du même goût que lui. » Vict. Le Clerc, *ibid.*, note 149.

(3) *Ep. fam.*, lib VIII, 14 : «Scis Appium censorem hic ostenta facere? de signis et tabulis, de agri modo, de ære alieno acerrime agere? Persuasum est ei, censuram lomentum aut nitrum esse... Curre per deos atque homines, et quamprimum hæc risum veni... Appium de tabulis et signum agere! »

quam, in pratulo, cum Bruto considit (1), quo facilius sermo de claris oratoribus explicetur. Fuit inprimis Academiæ propria Hermathena, « quod et Hermes commune omnium et Minerva singulare est insigne ejus gymnasii (2). » Mirum autem est quanto gaudio Tullius acceperit hoc signum de quo prius ab Attico audiverat : « Hermathena tua valde me delectat et posita illa belle est, ut totum gymnasium ἡλίου ἀνάθημα esse videatur (3). » Sic in eo genere effertur studio, ut non jam aliorum reprehensionem curet, dummodo ab Attico adjuvetur. Hunc maximopere orat ut, non solum Hermas Pentelicos cum capitibus æneis, quibus ne visis quidem ait se jam delectatum esse, sed etiam signa et cetera, quæ et elegantiæ Attici et Academiæ Ciceronis erunt, quamplurima quamprimumque mittat (4).

---

(1) *Brutus*, VI, 24.

(2) *Ad Attic.*, I, 4 : « L'abbé Mongault citait un marbre antique qui appartenait à M. Foucault, conseiller d'État, et qui représentait un de ces Herm-Athènes. Ce n'est autre chose qu'une figure carrée qui, s'arrondissant par le haut, forme la tête de Minerve avec le cou et le haut des épaules. » Vict. Le Clerc, lib. I, *ad Attic.*, not. 48.

(3) *Ad Attic.*, I, 1. — « La pièce qui contenait la bibliothèque de Pline le Jeune (grand imitateur de Cicéron) dans sa maison de Laurentum, était circulaire, voûtée et percée de fenêtres qui suivaient le cours du soleil. » Millin, *Dict. des beaux-arts*, tom. I, p. 128 : « Il paraît clairement, par la 5e lettre du Ier livre, que Cicéron appelait γυμνάσιον l'endroit de sa maison de Tusculum où était sa bibliothèque, et qu'il appela son académie. » Vict. Le Clerc, lib. I, *ad Attic.*, note 63.

(4) *Ad Attic.*, I, 3 et 4 : « L. Cincio H-S CCIↃↃ CCIↃↃ CCCC pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras. » Vide et *ad Attic.*,

« Præterea, inquit, typos (1) tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere, et putealia sigillata duo (2). » Addit etiam se velle maxime ornamenta γυμνασιώδη (3); non enim, quod Verres faciebat, sedet palliatus in vasum aureorum officina, at, republica prope desperata, abdit se in bibliothecam (4); quo ornatiorem nullum in suo Ἀμαλθείῳ locum esse vult; ibi enim litteris sustentatur et recreatur Noster, qui de se vere dixisset, quod de Lucullo dici voluisset: eum nempe libris magis quam reliquo ornatu villæ delectari (5). Quanto enim studio Attici bibliothecam appetit! Quam sollicitus est ne illa in alienas manus transferatur! Suas enim omnes vindemiolas eo reservat ut illud subsidium senectuti paret (6); quanta anxietate etiam laborat ne quæ scida depereat librorum quos ipsi donavit Pap. Pætus (7). Nam et græcis his

I, 3 et 4 : « Quæ mihi antea signa misisti, ea nondum vidi. In Formiano sunt; quo nunc proficisci cogitabam. Illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietam, si quando abundare cœpero, ornabo. »

(1) *Ad Attic.*, I, 10 : « Certainement les τύποι λίθου λευκοῦ, encastrés dans le mur d'un portique (Pausan., VII, 37, 1) sont bien des bas-reliefs de marbre blanc, tels que ceux que voulait se procurer Cicéron pour en faire le même usage.» (R. Rochette, *Journ. des Savants*, juin 1833.)

(2) « Bocca di pozzo : On sait que Cicéron fit venir d'Athènes de ces tours de puits pour ses maisons de campagne.» (Winckelmann, *Hist. de l'art*, III, 2.

(3) *Ad Attic.*, I, 6.

(4) *Ep. fam.*, lib. VII, 28, *ad Curium*.

(5) *De Finib.*, II, 8.

(6) *Ad Attic.*, I, 10 ; vide etiam lib. I, 2 et lib. I, 7.

(7) *Ad Attic.*, I. 20 ; vide etiam lib. II, 1, et *Epist. ad Divers.*,

libris quos suspicatur, et latinis, quos scit esse relictos, sibi vehementer opus esse scribit, ut, quod de forensi labore temporis datur, in iis studiis conquiescat.

VIII. — Tullius ΑΡΧΑΙΟΛΟΓΟΣ.

Hæc a nostro proposito fortasse aliena retulimus, sed ex quibus magis elucet, ut opinor, Ciceronem Græcorum ingenii amatorem, omnia quæ pulchra illi aut invenerint, aut effecerint, studio prope eodem fuisse amplexum, ne quid videlicet ab iis cognitum factumve ipse ignorare sibi videretur. Attamen, quemadmodum in Tullio erat quædam paulo superbior æmulatio, ut Romanus civis non ab uno homine græculo superaretur (1), ita vero et admiratio magna nobilissimæ vetustatis quæ sui monumenta tam pulchra tamque veneranda reliquerat. Non enim, quod jam de Paulo Æmilio animadvertimus, hoc nostrorum hominum proprium est ut si quis Græciam forte peragret, templorum rudera, exesas columnas, truncata deorum simulacra, locos denique tot clarorum virorum memoria pæne sacratos, quadam intueatur reverentia. Nam, Ciceronem licet audiamus, sub Attici persona, profitentem se, Athenis

---

lib. XIII, 77, de Dionysio servo qui multos libros ei surripuerat : « Res ipsa parva, sed animi mei dolor magnus est. »

(1) « Il voulut que Rome ne fût pas au-dessous de ceux qu'elle avait vaincus, et seul il reproduisit toute la Grèce aux yeux de ses concitoyens. » V. Le Clerc, *Disc. prél.*, trad. de Cicér., p. 24.

commorantem, non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectari, quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus (1). Quin etiam, quum quæstor Syracusas advenit, hoc primum in animo habet ut Archimedis sepulchrum, ab Syracusanis ignoratum, ipse inveniat. Quam studiose describit quomodo illud, septum undique et vestitum vepribus et dumetis, indagaverit ! Quam superbe exclamat id potuisse evenire ut nobilissima Græciæ civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset (2). Quod, credo, ait non tam ideo superbus, quia Arpinas Græcos, quam quia ipse ἀρχαιολόγος homo principes civitatis, quondam doctissimæ, doctrina superavit. Ignotum enim sepulchrum ne ipse quidem fortasse reperisset, nisi tenuisset quosdam senariolos, quos in ejus monumento essè inscriptos acceperat. Est enim cu-

(1) *De Legibus*, II, 2. Vide etiam de admonitione locorum : *De Finib.*, V, 1, et lib. XIII, *Ep. ad Mem.*, I : « Sedem, domicilium, vestigia summorum hominum sibi tuenda esse dicit. » — « Cicéron nous représente Atticus comme aimant à se rappeler et à revoir les lieux qu'avaient habités les hommes illustres en tout genre qu'Athènes a produits... Et qui doute, en effet, que le voyageur n'éprouvât aujourd'hui les mêmes sentiments, s'il pouvait encore découvrir et contempler ces monuments qui rappelaient tant de souvenirs précieux? Aussi, de quelle douleur amère n'est-il point pénétré en ne voyant partout que des ruines et la désolation. » (Chandler, *Voy. en Grèce*, tom. II, p. 532.

(2) *Tuscul.*, V, 23.

riosus, etsi curiosos contemnere videtur (1), sed belle curiosus (2), ut Atticus, quem scimus imaginum amore flagrasse, et de his volumen edidisse (3). Itaque ambo rident Metelli ἀνιστορησίαν turpem, qui proavum suum nesciret censorem non fuisse. Hic autem dixeris Tullium unum esse ex his antiquitatis amatoribus qui eam, hisce præsertim nostris temporibus, diligentissime perspectam excussamque habuerunt, adeo subtilis est et sagax in suis prope odorationibus. Nempe, ut Metelli erratum redarguat, affert primum eam statuam ad Opis positam, quæ nihil habuit aliud inscriptum nisi Cos.; dein illam ad Πολυδεύκους, quam esse ejusdem « status, amictus, annulus, imago ipsa declarat (4) » : quæ quidem minutissima profecto non perspexisset Noster, nec in turma inauratorum equestrium, in Se-

(1) *De Finib.*, V, 2 : « Ista studia, si ad imitandos summos viros spectant, ingeniosorum sunt, sin tantummodo ad indicia veteris memoriæ cognoscenda, curiosorum. » Ibid., lib. XVIII, 49 : « Atque omnia quidem scire, cujuscumque modi sint, cupere curiosorum. »

(2) *Ad Attic.*, lib. VI, 1 : « Sumus enim ambo belle curiosi. »

(3) Pline XXXV, 2; vid. etiam Cornel. Nep. : « Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator : quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit. »

(4) *Ad Attic.*, VI, 1.—« Cicéron, qui fait dire à Scipion Africain le Jeune (*de Somnio Scipionis*, § 1) qu'il reconnut l'ombre de son aïeul d'adoption plus par les portraits qu'il en avait vus que par le souvenir qu'il en avait pu garder depuis ses premières années, fait voir qu'il connaissait bien les portraits de Scipion, puisqu'il observe que, par erreur, on avait donné sa physionomie à des statues qui devaient représenter Scipion Sérapion. » Visconti, *Iconog. rom.*, p. 48.

rapionis subscriptione Africani agnomen animadvertisset, nisi non in his rebus solum quæ ingeniosorum, sed etiam quæ curiosorum sunt, studia ipse posuisset.

Quod autem Tullius ita in antiquitatem affectus fuerit ut eam, vel propter facetias atque jocos quibus mirifice capitur, amare et prope desiderare videatur (1), hoc haud levem causam attulit cur veterum artificum signa tabulasque pictas non parvi æstimaret. Quin etiam omnes, ut ipse dixit, artes quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur; neque ego libenter crediderim quemquam unquam exstitisse, præsertim antiquitatis amatorem, qui, cum poeta esset non mediocris, philosophus insignis, oratorum, aut cum Demosthene aut post Demosthenem princeps; tamen quam vim habeant ad sensus animosque commovendos pictura et ars statuaria, neque intellexerit, neque ipse expertus didicerit : qui, si forte exstiterit, certe non ille fuit Tullius qui contra, quod velim ex his quæ supra retuli jam manifestum esse, tanti hoc genus rerum fecit, quanti is poterat cui nihil eloquentia admirabilius, jucundius, potentius, nihil tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate, merito esse videbatur (2).

(1) *Epist. fam.* lib. IX, ep. XV, *ad Pætum* : « Moriar, si, præter te, quemquam reliquum habeo in quo possim imaginem antiquæ et vernaculæ festivitatis agnoscere. »

(2) *De Oratore*, lib. I, c. 8.

IX. — Judicia Tullii de veterum artificum operibus excutiuntur.

Non tamen institutæ quæstioni satis fecerimus, nisi quamdam adumbraverimus Ciceronis effigiem, ex his ipsius operum locis expressam, in quibus ipse, quas de signis tabulisque pictis habuerit opiniones, nobis exponit. Multa enim quæ, prout ratio sermonis postulabat, jam nostro in hoc libello collocata invenias, eadem si inter se comparata rursus perpendas, et in novum ordinem digesta colligas, quoddam, ut opinor, efficiant sententiarum corpus, quod uno quasi oculorum conjectu complecti facillime possis.

Ex hoc autem videre est Tullium, quum illud quod est probabile ad artes satis esse existimat, tamen nonnihil artificis ingenio concedere, quem penes erit rerum naturam suo ipsius arbitrio interpretari ; non ita, opinor, ut ficta veris, usitatis nova atque inaudita præponat, sed ut ea, quæ sub oculos cadunt, ad aliquid perfectum et excellens, quod in mente insitum est, referat. Itaque non is fuit qui, quod multi prave faciunt, ab artifice exposceret ut, quæ oculis percipiuntur, ea fideliter expressa tantum reddere conaretur. Censuit vero artifici opus esse inventione et judicio, ut primum quamdam rei alicujus formam inveniret, deinde judicaret unde potissimum, quod sequeretur, exemplum sumeret.

Sic enim Zeuxis : « Præbete, ait, ex istis virginibus formosissimas ut mutum in simulacrum ex ani-

mali exemplo veritas transferatur. » Nihil aliud poscit pictor nisi ut quæ jam animo conceperit, ea ex animali exemplo veritatem, immo vitam, trahant. Quod profecto Noster magnopere laudandum esse credidit, qui nihil in Canacho, Calamide et Myrone aliud improbat, quam quod eorum signa non satis ad veritatem sunt adducta. Vult enim perfectæ artis opera non modo sint pulchra, sed etiam veritatis proxima; « ars enim, ut ipse dixit, cum a natura profecta sit, nisi natura moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur (1). »

Pulchritudinis autem et veritatis in his rebus hoc temperamentum esse jubet, quod erat in Alcamenis Vulcano, in quo stante atque vestito, leviter apparebat claudicatio, non deformis (2). Nunquam enim Tullio in mentem venisset ipsam formæ turpitudinem nonnihil conferre ad artem, si vera imagine quasi exprimatur, et esse aliquam voluptatem, novam profecto et singularem, quæ ex ipsa deformitatis absolutissima imitatione percipiatur. Immo vero cum varia sint judicia, nec facilis explicatio sit quæ forma maxime excellat, semper tamen existimavit in omnibus rebus esse aliquid optimum, etiamsi lateret : idque ab eo posse, qui ejus rei gnarus esset, judicari.

Jam pulchritudo quid sit apud eum cognoscimus : nempe quæ ex apta compositione membrorum, quæ quodam cum lepore consentiant, oriatur. Num vero corpora ea pulchra esse censuerit, quæ vulgo qua-

(1) *De Oratore*, lib. III, 51.
(2) *De Nat. deor.*, I, 30.

drata (1) dicebantur, incertum est. Celsus enim (2) : « Corpus autem habilissimum quadratum est, neque gracile, neque obesum. » At Plinius de Lysippo (3) : « Non habet latinum nomen symmetria quam diligentissime custodivit, nova intactaque ratione quadratas veterum staturas permutando. » Equidem suspicor Tullio magis placuisse hanc staturam corporis quadratam, quam Lysippi gracilem symmetriam, ex hoc quod Polycleti atque Phidiæ, quos ceteris veteribus Plinius annumerat, sæpius quam Lysippi laus apud eum occurrit.

Quam autem vult in signis inesse aptam membrorum compositionem, eamdem tabularum coloribus adhibendam esse censet, ne clariori floridiorique aspectu oculi perstringantur. Hanc enim virtutem, quam Græci dicunt ἁρμονίαν, a nulla re abesse jubet Noster, cujus sermo tam numerosus defluit, quique in hac rhetoricorum præceptorum parte, quæ ad numeros oratorios pertinet, exponenda tam multus est (4).

Nunc vero si a nobis quæritur utram dilexerit Cicero statuariamne artem an picturam, licet hoc ipsius responso utamur : « Etenim « inquit » si quid

(1) Eam verborum translationem Græcos occupasse (τετράγωνος ἄνευ ψόγου, Arist. *Rhet.* III, 11 ; *Ethic. Nic.* I, 11), monet me Eggerus v. d.

(2) Lib. II, c. 1.

(3) XXXIV, 19.

(4) Vide et *Orat.* XX, de sophistarum sermone qui « verba apertius transferunt, eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum : paria paribus referunt, adversa contrariis, sæpissimeque similiter extrema definiunt. »

generis istius modi me delectat, pictura delectat (1). » Ex qua sententia nobis profecto majus excitabitur desiderium tot nobilium tabularum quas in perpetuum amisimus. Quanquam enim nonnulli nostrarum artium laudatores existimant, nescio qua experientia freti, veteres artifices, ut in signis maxime excellentes fuerint, non tamen in pictis tabulis hujus artis omnem vim ostendisse (2), utpote qui paucioribus coloribus quam nostri utebantur, testem adversus eos Tullium habemus, quem scimus, præsertim ex oratione quarta in Verrem, quanta admiratione quantoque studio aut æra Myronis, aut Praxitelis marmora describat; quanquam idem fatetur se non tam signis quam pictis tabulis delectari. Neque tamen credamus tabulas ei magis acceptas fuisse propterea quod formas egregias, aut optima lineamenta oculis præberent, neque eum ad colores quoque respexisse in quibus,

(1) *Epist. famil.* lib. VII, 2, ad Gall. — « Sa villa de Tusculum avait appartenu au dictateur Sylla, et l'on y voyait encore une peinture qui représentait la célèbre victoire qu'il avait remportée, près de Nole, dans la guerre Marsique, où Cicéron avait porté les armes. » Vict. Le Clerc, 2e *suppl. à la Vie de Cicéron*, p. 324.

(2) Vide contra : « Une mosaïque telle que la nôtre ne reproduisait nécessairement les chefs-d'œuvre de la peinture grecque que sous des traits affaiblis, avec des conditions insuffisantes; la science et la pureté du dessin, la finesse et la profondeur de l'expression, la magie du coloris, les effets de la perspective devaient perdre beaucoup à être traduits en marbre, même par des mains exercées. » Raoul Rochette, *Journ. des Savants*, mai 1833, *sur des mosaïques découvertes à Pompéi*.

ut putant multi, nostrorum artificum præcipua stat virtus. Nusquam enim reperio Tullium, quod Plinius ait, credidisse, nempe « sublimitatem picturæ esse si quis extrema corporum faciat et desinentis picturæ modum includat. » Nam Zeuxidis et Polygnoti et Timanthis formas quidem et lineamenta laudat, sed in Echione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta esse omnia judicat. Quin hæc « omnia, » ut quasdam alias virtutes, ita et colorum meliorem usum significent, nemini, credo, dubium erit, præsertim animadvertenti, quos maxime probat Noster artifices tabularum, omnes non quattuor coloribus contentos, novum aliquid invenisse quod non ex albis Melino, neque ex silaceis Attico, neque ex rubris Sinopide Pontica, neque ex nigris atramento fieri posset. Nam Echion et Nicomachus ceris pingebant, ut plerumque, ac picturam inurebant, quod ab uno e vetustioribus artificibus factum fuisse Polygnoto Plinius affirmat (1).

Immo vero Protogenes quater Ialyso colorem inducebat, quæ quidem pingendi ratio vix a nobis intelligitur, subsidio scilicet injuriæ ac vetustatis. De Apelle jam notum est quo atramento uteretur. Hæc vero cujuscumque modi artificia, judicio Tullii, multum contulerunt ad omnem tabularum pulchritudinem quæ non tantum linearum, sed etiam colorum aspectu efficitur. Quid de hoc ipso sentiret intelligendum est,

(1) « Il ne nous reste aucune de ces peintures antiques à l'encaustique. Le procédé dont les anciens se servaient n'a pas même été retrouvé d'une manière certaine. » Millin, *Dict. des beaux-arts*, tom. I, p. 529.

credo, ex hac sententia quam ab eloquentia licet ad picturam transferas : « Sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur (1). »

Quemnam autem e clarissimis pictoribus inprimis amaverit Tullius nobis parum liquet. Nam Apellis et Protogenis, quorum opera plane perfecta esse censet, nomina consociare, ut plerumque, solet. Ubi enim apud eum mentio fit Veneris Coæ, huc statim subit Ialysus, quo in genere nihil eo pulchrius se vidisse ait. Neque vero mirum est ei Protogenem ita vehementer placuisse. Nam qui artium fortuita miracula narrantibus aurem tam libenter admovebat, et in omnibus marmoribus inesse credebat vel capita Praxitelia, is merito hercle admiratus est in Ialyso hunc canem quem pariter, ut ait Plinius, casus et ars pinxerant. « Cum enim in eo exprimere spumam anhelantis artifex non posset, iratus arti, spongiam impegit inviso loco tabulæ, et illa reposuit ablatos colores qualiter cura optabat, fecitque in pictura fortuna naturam (2). »

Utcumque Ialysum ex ceteris Protogenis operibus quem laudaret jure elegit Tullius. Hæc enim tabularum ejus palmam apud omnes facile obtinebat. At Venerem Coam, quam pulchritudinis exemplum sæpe affert, non optimis Apellis operibus peritiores artis annumerabant. Plinius enim, postquam breviter de illa

(1) *De Oratore*, lib. III, 26.
(2) XXXV, 36, 20.

locutus est : « Peritiores artis, inquit, præferunt omnibus ejus operibus, eumdem regem (Antigonum) sedentem in equo, Dianam sacrificantem virginum choro mixtam, quibus vicisse Homeri versus videtur id ipsum describentis (1). »

Num quidem has tabulas viderit Tullius, incertum est, quin vero de iisdem audierit nulla dubitatio est. Sed longe absimilis est ejus sermo judicantis ea quæ in hoc genere ipse viderit, atque ea de quibus tantum audiverit. Quare equidem ut de Apelle judicium ita et de Zeuxide sententias secum pugnantes sic interpretari ausim, tanquam ille ea tantum laudet et non semel in exemplum pulchritudinis afferat quæ ipse viderit et studiose fuerit contemplatus.

Profecto autem Zeuxidis aut nulla aut paucissima opera aspexit Tullius, qui Zeuxin interdum, ut Polygnotum et Timanthem, fuisse ait arte nondum adulta insignem; interdum eumdem, ut Aglaophontem et Apellem, eum fuisse negat cui quidquam in arte sua deesse videatur. Cujus autem opera tam perfecta fuerunt, cur ejus fere nusquam apud Ciceronem memorata sunt? Immo in primo de Inventione libro legimus, de Zeuxidis Helena, historiunculam ita narratam, ut vix credas ab ipso aut Zeuxin optimum pictorem fuisse existimatum, aut ejus Helenam unquam fuisse visam : « Is et ceteras tabulas complures pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam, propter

(1) XXXV, 36, 17. Vide contra XXXV, 40, 41. De Venere Coa : « Quam diximus Venerem Apellis in majori admiratione esse quam perfecta. »

fani religionem, remansit. » Cum ait Zeuxidis tabulas complures fuisse, cur non « et pulcherrimas » more suo addiderit? Nullam aliam habuit causam, opinor, quam quod aut non eas viderat, aut non reipsa laudandas esse censebat, etsi negavit pictorem eum fuisse cui quidquam in arte sua deesse videretur.

Quia vero Zeuxis victus in illo certamine uvarum et lintei Parrhasio palmam concedit, idcirco forsitan Noster huic pictori primas detulit partes, nec dubitavit, exempli gratia, ut significaret quemdam pictorem excellentem, Parrhasium nominare (1). Sed hujus artificis opera nominatim laudata apud eum nulla reperias. Quin et habemus aliquam quasi recensionem (2) tabularum Ciceroni magis notarum, inter quas nulla est Parrhasii tabula. Sunt autem illæ : Venus Coa, Alexander in templo Ephesiæ Dianæ (3), tabulæ Apellis; Ajax Timanthis, Medea Timomachi, Ialysus Protogenis, ejusdem pictoris Paralus (4) et Satyrus (5). His adde et Europen Antiphili (6), quam fortasse respexit in suo *de Natura deorum* libro, ita loquens (7) : « At me hercule ego (dicam enim, ut sentio) quamvis amem ipse me, tamen non audeo dicere, pulchriorem

(1) *Tuscul.* 1, 2.
(2) *In Verr.*, IV, 60.
(3) Plin., XXXV, 36, 15 : « Digiti eminere videntur et fulmen extra tabulam esse. »
(4) Plin., XXXV, 20.
(5) Id., XXXV, 36.
(6) Id., XXXV, 37.
(7) *De Nat. deor.*, I, 28.

esse me, quam ille fuerit taurus, qui vexit Europam : non enim hoc loco de ingeniis, aut de orationibus nostris, sed de specie figuraque quæritur. »

De pictura satis superque. Jam quænam de signis judicia tulerit Noster paulisper perpendamus.

Illud autem primum in hac disquisitione non omittendum censeo, veteres nempe signorum amatores, non solum perfectæ artis fuisse studiosos, sed etiam materiæ (1). Nam cum signa essent pleraque ænea vel marmorea, multo pluris signa ænea æstimabantur. Quin etiam æri ipsi, cujus diversa erant genera, non idem semper honos habitus est. Nam, ut multa alia, æs Corinthiacum, Ægineticum atque Deliacum dignoscere callebant artis peritiores, de quibus Plinius : « At mihi, ait, major pars eorum simulare eam scientiam videtur, ad segregandos se a ceteris magis, quam intelligere aliquid ibi subtilius (2). »

Ex his unum fuisse Verrem jam antea animadvertimus; inde vox illa Ciceronis : « Tu illius æris temperationem, tu operum lineamenta solertissime perspi-

(1) « Non ære captus nec arte, » inquit Plinius de Catone signa contemnente. — « Presque toutes les statues trouvées à Herculanum sont de métal, à l'exception de deux statues équestres qui sont, ainsi qu'un petit nombre, exécutées en marbre. » Millin, *Dict. des beaux-arts*, tom. II, p. 41. — *De bronze di Ercolano*, Nap., 1767, préf., LV : « *I bronzi* antichi saranno forse meno ricercati de' lavori del pennello; ma sogliono in contracambio essere e più finiti, e di gusto migliore : e la scarsezza de' mediocri, nonchè degli ottimi, fa, che sieno anche più cari e più stimati de' *Marmi*.

(2) XXXIV, 3.

cis (1)?... » Quin hæc Noster quoque intellexerit nemini, credo, dubium est : cur autem æs pluris fecerit quam marmor, causa subest, opinor, quam nostri homines vix intelligant. Nam apud veteres non, quod facimus, æs ad simulationem vetustatis pingebatur, sed vario temperamento colores varios referebat (2). At qui marmore in signis conflandis utebantur, illud coloribus ungebant et operam pictorum adhibebant (3), inter quos Praxiteles, qui, interrogatus quæ maxime opera sua probaret in marmoribus : « Quibus Nicias manum admovit » inquit; tantum circumlitioni ejus tribuebat (4).

Itaque artifices, quorum mentio apud Nostrum præcipua est, signa sua plerumque ex ære absolverunt, quibus in operibus nulla artis alienæ ope usi sunt. Sunt autem isti Canachus, Calamis, Myro, Polycletus atque Phidias, cujus, etsi toreuticen artem sæpius excoluit (5), exstabat, præter Amazonem, ex ære Minerva tam eximiæ pulchritudinis ut formæ cognomen acceperit. Praxitelis quidem marmoreum Cupidinem laudat Tullius, in oratione quarta adversus Verrem; sed in eadem Herculis ex ære simulacrum id esse ait, quo non fa-

---

(1) *In Verr.*, IV, 45.

(2) Clarac, *Catal.*, VII.

(3) Vid. R. Rochette : *De la peinture sur mur chez les anciens. Journ. des Savants,* juin 1833.

(4) Plin., XXXV, 40.

(5) Defendit Beulæus, in suo de arce Atheniensium libro, Phidiam non, quemadmodum ebore et pretiosissimis metallis, ita et marmore ad signa conflanda usum esse.

cile dixerit quicquam se vidisse pulchrius. Refert etiam Venerem marmoream (1), ejusdem artificis opus, quam Cnidii, vel magno pretio, Nicomedi tradere noluerunt. Nonnulla alia perstringit æque marmorea, ut Iacchum et Cupidinem, propter quem Thespiæ visebantur; sed multo studiosius describit duo signa ænea, « non maxima, verum eximia venustate... Canephoræ ipsæ vocabantur (2). » Nec sine quadam marmoris aspernatione Chiis muros marmoreos ostentantibus : « Multo, inquit, magis mirarer, si Tiburtino lapide fecissetis (3). »

Si quis autem dubitet an materiam Noster in laudandis signis respexerit, aut id respexisse insulsum esse existimet, videat ne animos veterum in se omnes concitet. Nam Quintilianus, qui harum rerum non imperitus fuisse suis ipsius verbis non semel proditur (4), hæc scribere sustinuit (5) : « Et si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere, Parium marmor mallem rude. At si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset quam in marmore... nihil ars sine materia, materiæ etiam sine arte pretium est (6). » Quod recte ab eo fuisse

(1) *In Verr.*, IV, 60.

(2) « Les canéphores de la villa Albani pourraient bien être des copies de celles de Polyclète; elles ne seraient pas indignes de la réputation de ce grand statuaire. » Millin, *Dict. des beaux-arts*, tom. I, p. 186.

(3) Plin., XXXVI, 5.

(4) *Inst. or.*, II, 14; et XII, 10.

(5) II, 20.

(6) Vide tamen de anaglyphis figulinis Winckelmann, *Hist.*

judicatum nostri homines fortasse non putarent, qui statuas lapideas, magis quam marmor vel pulcherrimum, quod sit rude adhuc et illaboratum, sæpe mirantur. Idcirco, ut opinor, Phidias, ille clarissimus artifex qui pretiosissimam quamque materiam elegit quo suis operibus decorem adderet, non, sicuti suis civibus, nobis quoque, nimia artis magnificentia, forsitan placeret.

Jam ipse Cicero quæ sunt ex ære, nullis ex alio metallo signis inferiora esse, existimat.

Quemnam vero signorum artificem ceteris prætulerit, non levis est labor dignoscere. Nam, etsi Myronis Herculem et Buculam (1) laudat, et, ut brachia Praxitelis, pectus Polycleti, ita et Myronis capita aliis exempla esse significat, tamen non satis ad veritatem adducta ejus opera esse dixit (2). Omissis vero Canacho et Calamide, quorum ars rudior non magni æstimanda est, supersunt Polycletus atque Phidias, inter quos hæret suspensum Nostri judicium (3). Quemad-

---

de l'art, I, 2 : « Nous savons que Jules César ayant envoyé une colonie à Corinthe, pour faire sortir de ses cendres cette ville infortunée, ordonna de fouiller dans les décombres de ses édifices, et d'en tirer d'abord tous les ouvrages en bronze, ensuite tous ceux en terre cuite, ce qui nous prouve la haute estime des anciens dans tous les temps pour ces espèces de productions. »

(1) *In Verr.*, IV, 60.

(2) *Brutus*, 70 et 75 : « Tamen illius (Nævii) quem in vatibus et faunis enumerat Ennius, Bellum Punicum, quasi Myronis opus delectat. »

(3) Attamen Phidiæ opus quod laudaret potissimum elegit :

modum enim Apellem et Protogenèm ambos pulchritudinis in pictura auctores affert, ita, in arte statuaria, Polycletum et Phidiam quasi communi laude conjungit. Ubi enim laus est apud eum Jovi Olympio et Minervæ, occurrit pariter laudatus Doryphorus, perinde ac si in his quatuor operibus, nempe in Venere Coa, Ialyso, Jove Olympio, Doryphoro, omnis artium staret pulchritudo. Attamen Plinius censet statuariam etiam artem ultra processisse, cui plurimum ait contulisse Lysippum « capillum exprimendo, capita minora faciendo quam antiqui, corpora graciliora siccioraque, per quæ proceritas signorum major videretur (1). »

At Ciceroni novitatem illam non admodum placuisse, non immerito fortasse credideris. Etenim Lysippi nomen sæpius affert quam opera quæ, ut minus grata, memoriæ ejus tardius occurrunt. Quin etiam genus illud signorum sublime, simplex, quadratum, quod fuit Phidiæ et Polycleti (2), magis, ut supra dixi, quam illud gracile siccumque Lysippi, laudandum censet.

Post hos insignes viros, supervacuum est dicere de Scopa, Alcamene, Silanione, Boetho (3), quorum no-

---

« Nam Q. Hortensii admodum adolescentis ingenium, ut Phidiæ signum, simul aspectum et probatum est. » *Brutus*, LXIV, 228.

(1) XXXIV, 19.

(2) Clarac. *Catal.*, p. 380.

3) *In Verr.*, IV, 57; IV, 14.

mina in Ciceronis operibus semel occurrunt. Satis erit nobis si hæc omnia ita concluserimus, ut, cum Tullii sensus de signis tabulisque pictis, qui fuerint, exquirimus, fateamur eum opifices vel egregios non in eodem ordine habuisse atque poetas aut præsertim oratores : Qui contra putat (1) « artifices corporis simulacra ignotis nota facere : quæ vel si nulla essent, nihilo sunt tamen obscuriores clari viri. Neque enim minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere elaborarunt. Unus enim Xenophontis libellus, in eo rege laudando, facile omnes imagines hominum statuasque superavit (2). »

Quamobrem ipse cum Tulliolam suam lugeret, et fanum huic exstrui vellet quod sepulcri similitudinem effugeret et Chiis columnis ornaretur (3), non imagine quidem filiæ dolorem suum lenire cogitavit; omnium vero respexit ingenia scriptorum et græcorum et latinorum, ut ejus memoriam consecraret (4). Nec immerito hercule! nam Apellis quidem et Lysippi et Polycleti et Phidiæ opera aut nulla aut vix integra supersunt; exstant vero vel epistolæ ad Atti-

(1) *Epist. ad Div.* V, 12, *L. Lucceio.*

(2) Vide contra *pro Archia*, 12 : « Statuas et imagines, non animorum simulacra sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt. »

(3) *Ad Attic*, XII, 19.

(4) *Ibid.*, 18.

cum quibus Tulliolæ fanum apud posteros sacrum est (1).

(1) Lib. XII, 14 et seq. — « On ne peut guère douter, dit Viscontius, que le portrait de Cicéron n'ait été, même de son vivant, multiplié par la sculpture; il cite lui-même avec complaisance la statue de bronze doré que la ville de Capoue avait élevée en son honneur. » (*In Pison*, c. II.) De signis nummisque Ciceronis effigiem referentibus vide notam v. d. Vict. Le Clerc, *Vie privée et littér. de Cicér.*, p. 314, 2e *supplém.* — « Les Romains appelaient certains portraits *imagines clypeatæ* : telle était cette image de Quintus Cicéron sur un bouclier consacré par un ville d'Asie à l'occasion duquel son frère Marcus dit que Quintus était plus grand à mi-corps qu'entier. » Vid. Millin, *Dict. des beaux-arts*, tom. I, p. 169. Cf. *de Orat.*, II, 66 : « Demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico, sub Novis, distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus. »

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XIV kal. jul. ann. MDCCCLVI,

Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus.

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis rector.

CAYX.

TABULA.

I. De picturæ et artis statuariæ initiis apud Romanos..... 8
II. Quibus auctoribus hæc studia Romæ invaluerint..... 11
III. M. Tullius in artis operibus æstimandis stoicos æmulatur. 17
IV. Accusatio in Verrem..... 25
V. Tullii elegantia..... 30
VI. Tullius oculos eruditos habet..... 35
VII. Epistolæ ad Atticum, ad Fab. Gallum..... 51
VIII. Tullius ἀρχαιολόγος..... 56
IX. Judicia Tullii de veterum artificum operibus excutiuntur. 60

Lc 40.448
Quid de signis tabulisque pictis se
Widener Library
002416773
3 2044 085 196 335